



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale  
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]  
voluminibus edita

**Speciano, Cesare**

**Brixiae, 1603**

De Iudiciis Iudicibus, Et Notariis. Liber Secundus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10553**

# DE IVDICIIS, IUDICIBVS, ET NOTARIIS.

Liber Secundus. Tit. Primus.

**V**T à foro Episcopali, quantum fieri potest, auaritiæ labes amoueat; & quàm minimis possint incommodis, atque sumptibus causa in eo agantur hæc statuenda censuimus.

Notariorum, & scribarum mercedi taxa est statuenda, & illa, ac iam statuta est obseruanda. Cap. I.

**E**PISCOPVS, vel Vicarius eius omnibus Notarijs, & scribis sui fori, tam Ciuitatis, quàm diœcesis taxam præfinit, quam pro opere, & officij sui mercede ab vnoquoque in singulis causarum generibus pro loci, & cuiuscumq; rei, ac personæ conditione exigere liceat, obseruare faciat, qui nõ obtemperarit, in eum vehementer animaduertant, & vbi est iam præfinita omnino seruetur.

Collegium, & statuta Notariorum statuenda, ac probanda proptereaq; Iudices deligendi. Cap. II.

**C**OLLEGIVM Notariorum curiæ Episcopalis primo quoque tempore instituatur.

Collegium statuta Episcopo probanda, conficiat; officiales deligat, qui iudicent de eorum inter ipsos controuersijs, quæ ad eorum officium pertineant. In causas autem quæ inter Notarios, & litigatores extiterint, se omnino non interponant, sed eas Episcopi iudicio relinquunt. In alijs vero causis, si cuiquam cum eis in iudicio agere contingat, eorum iura, priuilegiâq; seruentur.

Testificatio stili causarum qualis esse debet, & seruari.

Cap. I I I.

**P**ostulantibus testimonium formulae curiae, quam Stylum vocant, de aliqua causa nec detur, nec datum vim habeat; nisi ei maior collegij pars subscripserit, cuius etiam formula exemplum, ab Episcopo approbatum, & subscriptum, publice in Collegio aseruetur.

Qui, & qualiter in Collegio Notariorum sint ascribendi, formaque iuramenti per eos praestandi. Cap. I III.

**Q**VI in Collegium Notariorum adscribi voluerint, eos Episcopus diligenter examine probet; tantum idoneos recipiat.

Excommunicatos, infames, & omnes qui a testimonio dicendo iure repelluntur, rejiciat.

Eos qui vigesimum quintum annum non attigerint, quiq; per quadriennium in Notariatus officio integre, periteq; non sint versati, non admittat.

Probatos prius non recipiat, quam iurarint Episcopo ea iurandi formula, quae infra scripta est; quam etiam ab ijs, qui in Notariorum Collegium adscripti iam sunt, ad duos menses praestari iubemus in manibus Vicarij nostri.

Ego N. Notarius a R. D. N. Episcopo, vel D. N. eius Vicario delectus, commissum mihi munus diligenter, ac fideliter exercebo.

A litigatoribus, quorum fuero Notarius, vel a quocumque alio eorum nomine, quavis de causa nihil, ne sponte quidem datum, accipiam; praeter id, quod Episcopi taxatione praefinitum est.

Nihil agam, neque me, aut quemquam alium interponam, quo mihi vlla causa scribenda committatur.

Non ero promotor, vel procurator in causis, quae agentur coram R. D. Episcopo, seu eius R. D. Vicario Generali, vel aliquo ab eis constituto, seu eorum ministro, nisi de licentia eiusdem Episcopi, vel Vicarij.

In causis vero, in quibus sum, vel fuero Notarius, omnes actus iudiciales substantialiter in Manuali, seu memoriali coram Reuerend. D. Episcopo seu eius vicarijs, aut alio ab eis preposito, & etiam coram ipsis litigatoribus, si expectare voluerint, conscribam.

Conscriptos eos, & instrumenta, & omnia alia, & singula in causis producta, cum Reuerendissimus D. Episcopus, vel alij supradicti, seu litigatores, vel eorum aliquis petierint; in registrum fideliter, quam celerrime referam, vel referenda curabo.

Litigatorum postulatu, vel alicuius eorum, in singulis terminis successiue litigatoribus ipsis copiam dabo, cum per Reuerendissimum D. Episcopum, seu alios supradictos decretatum fuerit, sine recusatione, & fraude, contentus mercede, Episcopi taxatione praefinita.

Secreta

Secreta eiusdem officij, & causarum nemini patefaciam, præsertim attestationses testium, & consilia assessorum, attestationsesq; & sententias, donec publicata, perlatæ, & sententiatæ, & per Reuerendissimū D. Episcopum, seu alios supradictos subscriptæ fuerint.

Constitutionibus, & mandatis Reuerendissimi D. Episcopi obtemperabo, iura ipsius, & eius mensæ pro posse defendam.

Instituta quoque officij, & officialium Collegij honesta iussa seruabo.

Nec vlllo unquam tempore contrafaciam, & omnia & singula superscripta, omni dolo & fraude omnino remotis, inuiolatè præstabo, & ita promitto, & inro, sic me Deus adiunet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Quomodo Notarius originalia seruet, eorum exempla, & aliaritè scribat, pro spiritualibus nihil percipiat, Cancellariaque referuanda, atque contrafaciens plectendus sit. Cap. V.

**N**ullus Notarius iudicibus Ordinarijs delegatis arbitris, nec arbitratoribus originales processus deferat, sed eorum tantum exempla, & regesta fideliter collata; nisi alicuius inopia, vel alia iusta causa, aliud aliquando Episcopo suaderet, vel eius Vicario.

In huiusmodi exemplis, seu registis nihil superuacaneum scribant.

Nec productarum citationum repetitiones cum inhibitione, vel sine ea, sed illarum executionè tantum his, vel similibus verbis adscribant. Eo die & c. reproducta fuit citatio, de qua supra, quæ fuit executæ, vt supra.

Ne dignitates iudicum, vel litigatorum repetant; sed ponant tantum his, vel huiusmodi verbis; R. Episcopus N. Iudex N. Actor. N. Reus.

Nec in carta bibula scribant, nec ea litera, quæ legi facile non possit; sin minus, male scripta, Episcopus vel eius Vicarius Notarij impensa scribi melius iubeat; vel ab ijs, qui registrum petierunt, dimidiam tantum partem taxæ, vel maiorem, vel minorem, si ei videbitur, solui iubeat.

Notarij in literis dimissorijs, seu testimonialibus, Sacri Concilij Tridentini decretum seruent; in alijs quæ merè spirituales sunt, etiam si nullum stipendium eis constitutum sit, nihil omnino accipiant; præter scripturæ mercedem moderatam.

Qui Notarij contra hæc decreta peccarint, vel alioqui in officio suo deliquerint, eos Episcopi ab officij vsu submoueant ad tempus, vel etiam in perpetuum; si id delicti gravitas postularit; & alijs pænis suo arbitratu coerceant.

Cancellarias verò vendi, locari, vel earum nomine, vel occasione, quouis pretextu cuiusvis personæ, quidquam solui prohibemus.

Notarij, & si qui præterea in hoc deliquerint, plectantur amissione officij, & alijs præterea pænis Episcopi arbitratu, vel eius Vicarij.

Causæ à decem aureis infra qualiter decidendæ. Cap. V I.

**C**ausæ, quæ decem aureorum nummum summam non excedunt, summarie, simpliciter, ac de plano, sola rei veritate perspecta, sine forma iudicij cognoscantur, id quod agi licet ex facultate à Pio Quinto concessa omnibus huius prouinciæ Episcopis.

Nihil pro visione scripturarum, & quid tantum pro testimonialibus, & dimissorijs percipi possit. Cap. V I I.

Facit in  
sui ratio  
ne tex. in  
cum ab  
omni de  
vit. & ho  
nef. Cle.

**N**E pecuniæ quicquam Ordinarius, delegatusve iudex accipiat pro recognitione, aut ut vocant, visione scripturarum ad causas, quæ apud se aguntur, pertinentium.

Pro singulis literis dimissorijs, quæ pro suscipiendis pluribus, omnibusve minoribus, vel etiam maioribus ordinibus concedentur; itemq; pro singulis literis, quibus Notarius testatum faciat, plures omnesve ordines alicui collatos esse, decimam partem aurei nummi tantum ad summum à Cancellario accipi liceat; ac si hæc literæ de vno tantum ordine suscipiendo, vel suscepto essent datæ. Idq; si modo nullum ei salarium pro officij sui munere exercendo constitutum sit.

Qualiter acta omnia in Codicem referenda, & cum alijs instrumentis, & scripturis in archiuio conseruanda, à quibus conscribenda, & exemplificanda sint.

Cap. V I I I.

**A**cta omnia Notarij in Codicem, non in pagellas referant, quamuis eae cordula insigant; idq; prestent, mense saltem, postquam rogati illa contecerint.

Certus in Archiuio Episcopali locus constitutatur, vbi causarum, ac iudiciorum Codices, instrumenta, acta, scripta, & alia, à Cancellario, & Notarijs fori Episcopalis, ad ipsum forum pertinentia, singulis annis confecta, quotannis recondantur, ita vt inde, cum vsu venerit, promi possit, quidquid in Ecclesiastico foro vnquam agitatum erit.

Is certus Archiuij locus duabus clauibus claudatur; quarum vnam Episcopus, alteram eius Cancellarius habeat.

Notario autem instrumentorum, quæ confecit, exemplum, idq; sumptibus suis habere, aut retinere liceat.

Si Cancellarius, Notariusve aliquis decesserit, vel ab officio se abdicarit, amotusve sit, quæcunque ille, vel instrumenta, vel scripta, vel acta eiusmodi confecit, statim Episcopi iussu in eundem locum deferantur. Quod si processus alicuius causa nondum sit completus, & causam, ob quam confectus est, partes prosequantur, eius in Archiuium delatio deferri poterit, quoad causa sit peracta.

Ex Archiuij tabellis, exemplaribusve, si quæ vnquam acta, aut instru-

menta,

menta, qua Notarij manu, signoq; munita, fidem faciant, exscribi contigerit; is qui rogatus Notarius illa confecit, si viuit, vt operis sui emolumenta consequatur, eorum exemplum, modò edi liceat, ipse conficiat si præsens est: si verò abest, id seruetur, quod iure cautum est: sin autem obiit, id Episcopalis Cancellarius præstet: mercedem autem inde capiant Notarij hæredes, nisi aliter inter partes conueniatur.

Testium dicta, & attestations, in causis civilibus ne scribantur ab alio, quàm ab ipso cause Notario, siue actuario, vel ab alio eius nomine, quæ attestations ipsi Notario causæ, siue actuario consignentur, & asseruentur, vt post in Archiuo vnà cum toto processu recondantur, vbi custodiuntur aliorum actorum monumenta.

Idem decernitur de instrumentis, actisve dicta causæ; quibus decretum iudicis adscribi contigerit.

In alijs verò omnibus, quibus auctoritas, decretumve Episcopi sit interponendum, Cancellarius tantùm Notarius adhibeatur.

Quomodo Tribunal fori ab Episcopo visitandum sit.

Cap. I X.

**Q**uotannis fori sui Tribunal Episcopus visitet; inquiratq; an præscripta fori ratio, an præfixita taxa seruetur: tum præterea, an si quæ corruptelæ, si quæve abusus irrepperint; an si quid denique vel institui, vel emendari oporteat; idq; sollicitè in primis curet, vt tollantur abusus, tum restituantur quæcunque ad rectam iudiciorum formam attinent.

Qualiter etiam substitutis, & scriptoribus nè munera capiant. prohibetur. Cap. X.

**M**aximè interest, non modò cum, qui officium tanti ponderis, tamq; valde cum Episcopali cura coniunctum, gerit, quale est Cancellariæ Episcopalis munus, sed illos etiam, qui vel substituti nomine, operam simul in eo ipso monere ponunt, vel in Cancellariæ scriptorum numero censentur, cum ab omni alio negotio expeditos esse, quò attentiores sint ad operam, curamve susceptam, tum maximè vacuos, ac planè liberos ab omni, vel minima suspitione cupiditatis, prauaq; affectionis, nedum corruptelæ. Quare præter ea quæ olim hoc de genere iam constituta sunt, hoc decreto etiam vetamus, atque interdiciamus, nè eorum quispiam ab ulla cuiusuis loci, ordinisve vniuersitate, collegio, homineq; villo, ne diæcesis quidem alienæ, qui in foro Episcopali, causas, lites, & negotia, cuiuscunque generis sint, duobus ante annis habuit, aut iam nunc habet, aliquod vel minimum donum, munusve etiam sponte oblatum, accipere possit.

Prædictis quomodo patrocinari non licet. Cap. X I.

**N**e præterea in eo foro Ecclesiastico, vel in alio, lites, causas, negotiaue cuiuscunque suscipiat, neque agat; nec verò dispensationes, neque alias

eius

eius generis actiones, expeditionesve persequatur, procuretve, nisi officij quod gerunt, ratio aliter deposcit, aut Episcopus consenserit. Qui contra fecerit, à muneris exercitatione suspendatur, atque eo etiam mulctetur; alijsq; pœnis plectatur arbitrato Episcopi.

Originalia quibus, & quo loco tantum ostendenda.

Cap. X I I.

**C**ancellarius, & Notarij causarum, tam civilium, quam criminalium, acta, gesta, tabulas, instrumentave, & processus originales, ne ullo nomine, ne inspiciendi quidem tantum causa, usquam exhibeant, nisi in proprio pluteo, aut Cancellaria, archiviive loco. Illa verò inde aliò asportari ne liceat, etiam de eorum quorum interest, etiam si cui certo homini transferenda, rectè, ac tuto committi possint, præterquam iudici causa ostendenda, Qui secus fecerit, cum ab Episcopo plectatur graui pœna, tum damnum resarciat etiam, si quid quisquam eo nomine fecerit.

Copia attestationum, aliarumque scripturarum, ne cuiquam sine licentia Vicarij detur. Cap. X I I I.

**E**a cautio Cancellario, & Notarijs adhibenda est, ne copiam alicuius cause actorum, attestationum, sententiæ, vlliusq; scripturæ exemplum edant, facultate scriptæ editionis à Vicario non data. Qui in eo genere deliquerit, officij amissione mulctetur, aliaq; pœna puniatur, pro Episcopi arbitrio.

Nihil ultra taxam, nisi ex facultate Apostolica percipiatur.

Cap. X I I I I.

**Q**uæ Concilium quintum prouinciale gratis à Notarijs dari sancit, ea ita seruentur omnino vt ibi sancitum est, nisi taxa auctoritate Apostolica iam facta aliud permittat.

Episcopus nec alij de emolumentis Cancellariæ præter eiusdem ministros nihil percipiant. Cap. X V.

**D**e emolumentis Cancellariæ Episcopalis, quam Concilio Prouinciali primo, vendi, locari, eorumve nomine quicquam persolui, vetitum est, nihil prorsus utilitatis priuata ad Episcopum, eiusve mensam, aut Vicarium, neque ad alios, præterquam ad Cancellariam, Cancellariumve, ceterosq; eiusdem Cancellariæ ministros, perueniat. Qui, aliquid etiam à sponte dantibus, perceperit, tum in conscientia foro ne suum faciat, sed pauperibus loci, erogare omnino debeat; tum quadruplo mulctetur, quod vel in Ecclesiæ instaurationem, vel in Sacristiæ usum erogetur.

Sanctio Gregoriana contra Iudæos, promulganda. Cap. X V I.

Calè. Lu-  
nij. 1581.  
Iser eius.

**G**ranis illa sanctio qua Gregorius X I I I. Iudæorum blasphemijs, & flagitijs obuiam ire voluit, in omni nostra diœcesi, præsertim vbi Iudæos

habi-

habere permiffum eſt, vel tractare ſepenumero, prout Epifcopus opus eſſe cenſuerit, de more promulgetur; atque ob eam cauſam libro huic in fine illam adiungi ſtatuumus.

dem 55-  
mi Pon.  
C6ft. nu.  
73. i Bul.  
fo. 1305

Quarum congregationum in initio, & fine que orationes dicendæ, & iccirco tabellæ affigendæ ſint. Cap. X V I I.

**S**Tata illa oratio, quam in ſynodis de Spiritu ſancto dici ſoleat, illa ſcilicet, cuius initium eſt, *Adſumus Domine, ritè, ſanctèq; ut liber Pontificalis vetus oſtendit, congregationum initio recitetur, quæ de ſanctæ Inquiſitionis officio, de iudicijs, de ſententia cauſæ ferenda, habebuntur.*

Itidem fiat in omni conuentu, ubi de clericalibus examinibus, de electione, inſtitutione ve eius agetur, aut deliberabitur, in quem alicuius beneficij Eccleſiaſtici cura adminiſtratio ve conferatur. Quam ob cauſam ea oratio rectè in tabula literis conſignetur, certoq; congregationis loco affixa, cum uſu venit, in promptu ſit, vnà cum alia ſtata oratione, quam in initio, & in fine aliorum actionum, congregationum ve ex officio Beate Mariæ adhiberi, inſtituti, moriſq; eſt.

Quæ taxa, à quibuſcunque ſeruanda ſit. Cap. X V I I I.

**C**onſtitutio decretorum, & taxarum à Metropolitanò confeſta, & Apoſtolicis literis Sanctiſſimi Domini noſtri Gregorij Papæ X I I I. confirmata & renouata, & in fine huius libri ſcripta, que per Iudices ſynodales, & conſeruatores Regularium, exemptorum ve quorumcunque, & per ordinariorum etiam in cauſis delegatis, ac per eorum omnium, & ſingulorum Notarios ſeruanda, atque ad executionis uſum inducenda eſt, ab vniuerſis, & eorum vnoquoque cuius intereſt, ſeruetur diligenter, inuiolateq; ita tamen, vt ſi quibus in rebus, cauſis, negotijs ve aliquo ſtatuto, aut conſuetudine laudabili, nihil vel minus, quàm ea taxa præſcribitur, per Iudices à Synodo deputatos, ac Regularium exemptorum ve quorumcunque conſeruatores exigi deberet, conſuetudo illa, ſtatutum ve omnino retineatur, ſerueturq; ad euſdem conſtitutionis præſcriptum; quæ conſtitutio non derogat conſeſſioni Sixti Quinti, quæ etiam imprimetur infra.

Subdat.  
Ro. die  
4. Iunij  
1580. Po-  
tif. eius-  
dè S. D.  
anno 9.  
Inci. Ac  
perpetu-  
rei mem.  
Romani  
deceſt Pe-  
tificem.

Quam conſtitutionem, ſeu taxam iudicibus ſynodalibus, & Conſeruatoribus præſcriptam, ſeruet etiam Ordinarius: niſi quibus in rebus conſuetudine, decretis, vel conſtitutionibus, taxis ve Epifcopalibus, taxa minor ei ſeruanda propoſita eſſet, quam omnino ſeruet.

Contra quoſcunque circa taxam inobedientes qualiter agatur.

Cap. X I X.

**S**I Vicarius, Iudex ve Ordinarius in cauſis ordinarijs, vel delegatis, aut Conſeruator Regularium, & exemptorum quorumcunque ſuis in cauſis, aut Iudex in ſynodo deputatus, pro cauſis commiſſarijs, eorum Notarij, aut miniſtri, quicunq; contra præſcriptum ſanctionis illius Pontificis quicquam



commiserit, deliqueritve, cum eo, quicumque sit, ad præscriptum eiusdem constitutionis agatur.

## DE OFFICIO IUDICIS. Tit. II.

Pupillorum, viduarum, & egentium patrocinator deligendus.  
Cap. I.



**P**UPILLORVM, viduarum, & egentium hominum, cura, Episcopo, communi omnium parenti, sacrosanctis Canonum legibus, potissimum commendata & commissa, negligi non debet: ne si legatur, Vociferentur ad Dominum, qui exaudiet clamorem eorum. Quamobrem pro sui muneris officio Episcopus aliquem constituat Ecclesiasticum, vel alium pium hominem, Christianæ charitatis operibus, atque officijs deditum, qui misericordiæ viscera indutus, id generis hominum patrocinium in omni causa suscipiat. Quod si aliqui iam huic pio operi præfati sint, id agat Episcopus, ut ij munus sibi creditum exequantur, quam diligentissime.

## DE FORO COMPETENTI. Tit. III.

Clericus in aliena à sua diœcesi delinquens, & profugus qualiter proprio Episcopo transmittendus. Cap. I.



**E**PISCOPVS, vel Vicarius clericum alienum, qui in propria diœcesi deliquerit, & ad suam diœcesim confugerit, proprio illius Episcopo petente, & sibi de Clerici, qui deliquit, citatione, & contumacia, aut condemnatione fidem mittente, comprehendendi, & ad illum mitti curet, idq; sumptibus petentis.

Qui inferiores Episcopis causas criminum, & matrimoniorum cognoscere nequeant. Cap. I I.

**Q**uicumque in dignitate Ecclesiastica constituti, etiam exempti, qui intra fines diœcesis sunt, & reliqui præterea inferiores Episcopo, nè privilegiorum, consuetudinive prætextu, matrimoniorum, & criminum item causas, tiam visitando cognoscant; sed Episcopi iurisdictioni, iudiciove relinquunt, id præscriptum Concilij Tridentini.

Seff. 24  
c. 25. ver  
Ad hæc,  
de refor.

Non tamen Abbates, quibus aliàs legitime talis iurisdictione competit, alijve inferiores, si de immemorabili consuetudine eiusmodi legitime doceant, quominus de his etiam causis cognoscant prohibeantur.

## DE PROCURATORIBVS. Tit. IIII.

Qui à fori Ecclesiastici auditorio arceantur, & eius ministri,  
à quibus caueant. Cap. I.

**P**ROCURATOR, qui causam iniquā in foro Ecclesiastico scien-  
defenderit: qui ve quicquam negauerit, quod Verum scierit  
fori Ecclesiastici auditorio, aditue interdicitur, nisi is le-  
gitimè se purgarit. Qui præterea in publico concubinato  
aut adulterio viuunt, aliq̄ publicè criminosi, à foro Epi-  
scopali ita arceantur, vt nec Notarij, nec Procuratoris  
nec Aduocati officium, ne in vllò quidem causarum genere, gerant. Inferio-  
res quoque ministri in Christiana Vita officijs contineantur: curentq̄ Epi-  
scopi, vt à ganeis, à meretricibus, à ludo cuiusuis generis, ab improbatis que-  
stibus abtineant, ne blasphemii sint, nec vitæ moribus reprehendendis, /  
quos deliquisse, compertum erit, in eos animaduertatur.

## DE IURE IVRANDO. Tit. V.

Iuramentum à curato præstandum. Cap. I.

**Q**UI CVMQVE Parochiali Ecclesie præficiendus erit, is primum  
Episcopo, vt iam in nonnullis huius provincie Ecclesijs consue-  
tudo est, iuret se Sancte Sedi Apostolicæ, & Episcopo, eiusq̄  
item successoribus obedientem fore.

Tum præterea se ad Tridentini Concilij præscriptam rationem, residentem  
in Ecclesia futurum, quam obtinuerit.

Tum iura etiam illius Ecclesie se pro viribus conseruaturum, ac defensu-  
rum esse.

Bona denique eiusdem se absque legitima auctoritate non alienaturum;  
que verò antea ab ijs, qui illius curam gesserunt, iniuste, vel vendita, vel alio  
quouis modo alienata sunt, ea, quantum in se est, recuperaturum.

Iuramentum, ab obtinentibus dignitatem, vel Canonicatum  
præstandum. Cap. II.

**E**GO N per hæc Sancta Dei Euangelia iuro, me, neque precibus, neque  
pretio, neque alia ratione egisse, aut aliàs curasse, quominus hoc experi-  
mentum in mei approbatione ad exercendum officium meæ dignitatis, vel  
Canonicatus, integrè, fideliterq̄, fieret; sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta  
Dei Euangelia.

Iura-

## Iuramentum punctatoris. Cap: I I I.

**E**GO N. punctatoris officium, quod suscepi, per hæc Sancta Dei Evangelia iuratus, sanctè promitto, ac spondeo, me fideliter, & sincerè, quantum in me est, executurum. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Iuramento aliter præstito non obstante, quæ nihilominus ad Episcopum per Canonicos deferantur. Cap. IIII.

**Q**uo iureiurando Canonici, etiam ex statutis, & constitutionibus Ecclesiæ probatis inter se obstricti, aliave ratione spondent, se nihil quicquid, quod in capitulari, Canonicali ve conuentu agitur patefacturos, aut diuulgaturos esse, decernimus, atque declaramus, eo non obstrictum, aut impeditum quemquam esse, quominus ad Episcopum deferat, si quæ, vel capituli, vel Canoniorum, aliorum ve, qui de eapitulo sunt, errata sint; que ve emendationem, correctionem ve desiderent, atque adeo quæcunque eo de genere sibi pateferi, denuntiari ve ille iusserit; tum etiam si que alia ab eodem sciri, cognosci ve expedierit, tum ea maxime, quæ nostris decretis ad Episcopum deferenda sunt.

Iuramentum, & alia quæ à testibus Synodalibus præstanda sunt. Cap. V.

c. Episco-  
pus. 35.  
1.6.

**E**GO N. testis synodalis à Reuerendissimo Episcopo nominatus, promitto, spondeo & iuro, quod amodo in antea, quicquid noui, aut audiui, aut postmodum inquisiturus sum, quod contra voluntatem Dei, & rectam Christianitatem in diæcesi, vel regione mihi commissa, factum sit, vel futurum erit, si in diebus meis euenerit, tantum, ut ad meam cognitionem quocumque modo, si sciuerò, aut indicatum fuerit mihi synodalem causam esse, et ad ministerium Reuerendissimi Episcopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celabo Reuerendissimo Episcopo, aut eius misso, cui hoc inquirere iusserit, quancumque ex hoc me interrogauerit, sic me Deus adiuuet, et hæc Sanctorum reliquæ.

Iurati testes hoc perpetuè meminerint, se non amore, non odio, non inuidia, non spe, non metu, non pæna, non præmio, non cognatione, non vlla denique re commoueri, aut impediri debere, quominus liberè, & integrè munus suum pro ratione infra præscripta, præstent: quo igitur tempore hoc munus gesserint personas discretas interrogando simpliciter, & de plano, absque vlla iurisdictione sollicitè inuestigent de omnibus, quæ Sanctæ memoriæ Dominus meus Cardinalis Borromæus luculenter notauit in Concilio Quarto Provinciali in titulo de testibus synodalibus, in quibus monitionibus tota reformatio Cleri sub compendio continetur.

Quid,

Quid, & quibus testibus Synodalibus suppeditandum sit. Cap. V I.  
**A**d diæcesanam Synodum testibus synodalibus venientibus, nihil neque sumptus, neque viatici contribuatur, nisi sint, qui diæcesanæ synodo interesse non debent, atque ijs quidem suppeditetur, ad præscriptam Prouincia libus testibus rationem.

Quando eidem victus necessaria impendenda. Cap. V I I.

**S**i testis synodalis à suo domicilio ad aliquem locum pro sui muneris functione inuestigaturus accesserit, victus expensa, viaticumq̄, ab ijs de tur, quorum causa venerit, ad idq̄ dandum Episcopus compellat.

Quando iuramenti relaxatio concedatur. Cap. V I I I.

**I**usurandum sicut vinculum iniquitatis esse non debet; ita eius relaxatio, absolutiove æquum nullo modo est, vt cuiquam præiudicium afferat. Quamobrem ne cuiquam in posterum iusiurandi, quo astrictus est, relaxatio, absolutiove vnquam detur; nisi ad agendum tantum, aliàs ex Sacrorum Canonum præscripto, at verò nullo modo, ad excipiendum, ac præterea, ne ad agendum quidem, posteaquam quis periurium admisit, à quo crimine Episcopus absoluat neminem.

Qualiter Episcopi, & alij prælati iurent. Cap. I X.

**Q**uod ab Episcopis, prælatiue ob dignitatem, qua præcellunt ex instituto fieri decet, vt manu ad pectus admotâ, si quando oportet iusiurandum præstent, id sanè vbique & semper, ita ritè seruent, nisi causæ grauitas, prout iure cautum est aliter postulat.

Qualiter alij inferiores iurent. Cap. X.

**R**eliqui autem Ecclesiastici homines, ut pote clerici inferiorum ordinum Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri si iurare necesse habent, id tactis sacris literis agant. In causis porò leuibus, vbi opus est, iurent, manu scilicet pectori admotâ, si modò superior præsens non adest, quo præsentè, contra tactis scripturis, iusiurandum præstent.

## DE POSTVLANDO. Tit. V I.

Qui foro Episcopali asciscuntur qualiter iurabunt, idemque in laicorum causis præstari hortatur. Cap. I.



**A**VSIDICI, aduocati, fiscales, ad causas in foro Episcopi ne adhibeantur, priusquam iureiurando Episcopo se obstrinxerint; se nullam causam suscepturos, quam à iustitia, & æquitate alie nam existimauerit.

Hortamur etiam Pretorem, & alios Magistratus, ut idem in laicorum causis seruandum curent.

Propositi, sed nō tactis Euangelij Episcopus iurat. c. vlt. de iura. calū. glo. in c. testimonium 11. q. 1. in ver. iureiurando.

Quibus, & quando patrocinari, & causas commendare non licet. Cap. I. I.

**N**emo quisquam, neque Vicarius, etiam Foraneus, neque procurator, aduocatusve fisci Episcopalis, neque auditor, nec verò alius, qui in familia, familiaritve Episcopi sit, causarum, quæ in Episcopali foro aguntur, procuracionem, defensionem, ac patrocinium, nec nomine, nec re ipsa suscipiat, agatve, præter illas, quas debet pro suscepti officij munere, & quas præter alias causas Episcopus, ab illo suscipi, agere iusserit. Nec verò quisi iam eorum patiatur, famulos suos in eo Episcopali foro causas non modò agere, sed ne commendare quidem, minus verò quicquam, vel minimum opere ponere, quo præiudicium, damnumve cuiquam inferatur.

Neque præterea ipsi, vel fori Episcopalis ministri, vel Episcopi familiares in causarum commendatione auctoritatem suam interponant: nisi ij sint, quibus pro muneris sui ratione diligenter curandum est, vt lites, controuersie, & causæ præsertim miserabilium hominum, quam celerrimè, & rectissime in primis definiantur.

Aduocatorum, & Procuratorum malitia coercenda. Cap. III.

**A**duocatorum, & Procuratorum malitiam Episcopus pœna priuationis, suspensionisve, officij postulandi, & procarandi in suo foro; alijsve pœnis suo arbitratu, pro sua conscientia coerceat, etiam sine vlla iudiciali causæ cognitione.

## DE IVRAMENTO CALVMNIAE.

Tit. V I I.

Turamentum calumniæ qualiter exigi potest. Cap. I.



**V**t apud iudicem Ecclesiasticum omni sinceritate iudicia exerceantur; statuimus, atque edicimus, illum non solum litis principio, sed in omni eius parte, cum expedire censuerit; atque ex officij sui munere, tam ab actore, quam à reo calumniæ iusurandum exigere posse.

## DE FERIIS. Tit. VIII.

Quid diebus festis agi vel ne debeat. Cap. I.



**M**aximam in eo diligentiam, ac studium Episcopus ponere debet, vt dies festi piè, sanctèq; obseruentur ab omnibus. Cum enim ij potissimum ad celebrandas Dei, & Sanctorum laudes salutariter instituti sint; curandum est etiam diligenter; vt ne ijs

ipsis

ipsis quisquam ad diuinam offensionem, & animę suę perniciem abutatur.

Prohibeat igitur Episcopus ne illiberales artes exercentur, aut ullum opus fiat eo tempore alienum.

Ne quid ematur, aut vendatur præter id, quod ad victum illius diei, vel ad ægrotorum curationem necessarium sit.

Ne officij, aut omnino, aut aliqua ex parte aperte habeantur.

Ne fiant nundinæ, sed quæ festo die fieri consueverint, in antecedentem, vel sequentem diem, qui festus non sit, transferantur.

Qui secus fecerit seuerè plectatur Episcopi arbitrato, pro officinis apertis, rebusve venditis, si filius, familiaris, Ministri deliquerint, etiam Pater, Dominus, & artifex, pœnam subeant.

Ijs etiam diebus studebit Episcopus, ne personati homines incedant.

Sed Episcopus doceat, vel docere faciat populum, debere unumquemque eo potissimum tempore, in diuinis officijs, & concionibus audiendis frequentè esse; ac in precibus, recolendisq; Dei maximis beneficijs assiduè versari.

### Prosequutio prædictorum. Cap. I I.

**S**acrosancta Tridentina synodus cum statuit, fideles religioso festorum dierum cultu abuti non debere ad comessationes, ad luxus, et lasciuiam, tum pastores omnes vehementer in domino obtestata, debitam, sanctamq; eorum obseruantiam pastoralis diligentia magnopere commendauit. Quam obrem supra, de illorum cultu quamuis à nobis sancitum sit: tamen hac constitutione eo ipso de genere diligentius decernendum censuimus; cum eæ sint morum corruptelę, vt Deo dicati dies, sanctisq; officijs consecrati, ac spiritus sancti doctrina instituti, tum ad recolenda diuina beneficia, tum ad honores debitos sanctis tribuendos, ad eorumq; vitæ imitationem excitandam non modò, vt oportet, sanctè, non colantur; sed quod grauissimum est, nefariè violentur operibus, officijs, ab eorum cultu & pietatis Christianæ studio alienis. Itaque in maxima hac offensione, nos sacrę illius synodi auctoritate, Canonum iure, summorum Pontificum sanctionibus, & Pij Quinti Pontificis constitutione, Patrum item institutis, tum ipsis imperatorijs legibus adducti, edicimus; vt ne quid seruilis operis sacris ijs diebus, qui sanctę matris Ecclesię instituto coluntur, fiat; ne quidquam denique, quod in illis agi, geri, fieri non liceat.

Prosequutio prædictorum, & festorum dierum sæpe Populus admonendus est. Cap. III.

**E**T quoniam in ijs, quę sequuntur, maxime peccatur, hæc nominatim vetamus.

Ne ijs diebus nundinæ, emptoria, mercatusve agantur; ne quidquam præterea fiat, exercenturve, quod ad earum nundinarum, vel mercatus apparatus pertineat, etiam si in diem proximè sequentem, illę cadant.

Ne contractus ulli, cuiusvis generis sint, neve ullarum rerum executiones fiant, nisi cum iure nominatim permixtum est.

Ne collectæ, tale æve in oppidis, pagis, vicis, vt ex deprauata consuetudine quibusdam locis factum est, festis diebus exigantur, præsertim quo tempore, vel sacra fiunt, vel concio habetur, vel processiones, vel alia divina officia celebrantur, vel scholarum doctrinæ Christianæ exercitationes aguntur. Nec vero villo præterea vnquam die in Ecclesia, in Cæmeterio, atriore Ecclesiæ illa exigi liceat.

Ne libri imagines, signa, & alia id genus vsquam venalia proponantur, aut circumferantur.

Ne quæ ad aleæ lusum pertinent, neque larvæ itidem, nec vestes ad personatorum hominum vsum vendantur, locentur ve.

Ne quæ res, ad vitam necessaria, vendi licet, illæ prope Ecclesiis, earumve conspectu venales proponantur.

Neque earum ipsarum rerum præter quam panis, à sole, aut pluvia defendendi causa, in foro, locisve publicis, tentoria, rastrave sint, quibus illa exponantur.

Neque earundem rerum occasione, causare, officina aperte villo modo sint; sed earum ostium paruum patens sit, licet, reliqua omni parte clausa.

Tonsoribus præterea, pistoribus, sutoribus, calcearijs, alijsq; eiusmodi, & reliquis item opificibus, quibus præscribi oportet, certa regulæ præscribantur, ne deinceps dierum festorum cultum violent, in quo maxime peccare plerique solent. Quoniam autem vsu iam hac in diœcesi, nimis compertum est, deprauatis his temporibus, & moribus, ad choreas, tripudia, saltationes, & id genus alia nunquam ferè conueniri sine multis; & ijs quidem grauissimis, Dei offensionibus, idq; cum obturpes cogitationes, obscæneq; dicta, inhonestas actiones, morum corruptelas, & perniciosas ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuo coniunctas; tum propter cades, rixas, dissidia, stupra, adulteria, aliaq; mala plurima, inde consequentia, quam sæpissime his tot offensionum, & peccatorum seminarijs locum dari, ijs præsertim diebus, qui dies propitiationis sunt; & ijs ipsis diebus fideles plerumq; nefarijs istis Satanæ blanditijs illectos, à diuinis officijs, religiosis supplicationibus, lectionibusq; à sacris abduci, auertiq; rudes à percipiendis fidei rudimentis, aliosq; ab alijs Christianæ pietatis officijs, in qua eo tempore religiosè incumbendum est, abstrahi, & amoueri; hoc certe grauissimum est in conspectu Dei; & Ecclesiæ quare festis ijs diebus saltem horis, quibus diuina celebrantur officia, interdiciamus, ne saltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant.

Vt autem hæc omnes de festorum cultu leges, ab omnibus seruentur, contra eos, qui non paruerint, Episcopus agat pænis, & alijs item remedijs arbitrio suo.

Festis diebus Sacrosancto missæ sacrificio fideles omnes intersint.

Ut verò ijs dies omni pietate, & religiosius colantur; hæc crebro popu-

lum

lum Parochi, & Concionatores admoneant, atque hortentur, ut illorum dierum tempus, quod Deo, eiusq; cultui debetur, in ijs actionibus totum consumant, in quibus sanctè consumendum est.

Ut concionem mane, & sacram lectionem à prandio ubi explicari solet, audiant.

Ut diuinis Vesperarum presertim officijs presentes, piè, religioseq; adsint.

Ut in Christianæ doctrinæ rudimentis, ac præceptis, vel percipiendis, vel recolendis versentur.

Ut in operibus etiam, officijsq; pietatis se exercent, egros homines visitando, merentes, piè consolando, & alia eiusmodi præstando.

Ut denique ab illis actionibus, unde omnis peccandi materia, atque occasio existit, feriat in ea opera incumbant, ob quæ sunt illi sacri instituti dies.

Episcopi igitur cura sit, ut Litaniarum processiones, vel Orationis, aliarumq; Christianarum virtutum exercitationes instituerent; in quibus perfectos dies occupati fideles, abducant se à prophanis actionibus.

Quid pro festorum dierum cultu populo prohibendum, & suadendum. Cap. IIII.

**P**robibeat verò diligenter Episcopus, atque omnino efficiat, ut non modò saltationes, & choreæ, ut supra; verum etiam ne commestationes, in honorem sanctorum ludi, aliq; ve prophanæ actiones, ab eorum festorum dierum, & piorum institutorum cultu alienæ, ullo quouis modo, etiam illorum prætextu, occasione ve introductæ, publicè ijs ipsis diebus fiant.

Studeat etiam Episcopus, ut quo tempore in Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ hebdomadis Ecclesia mater, & officiorum ritu, & Hymnis, Canticisq; fidelium mentes ad mœstitiam, atque ad pœnitentiam excitantibus, & omni denique tum vestimentorum, tum aliarum rerum apparatu populum Dei instruit, ac præparat tot ante diebus ad sanctè recolendam Christi Domini passionem, & crucem; eo potissimum tempore fideles, sibi in curam traditos, spectacula, ludos scenicos, & alia, quæ gentilitatis speciem præferunt, tum præsertim morum corruptelis introducta, illa ipsa tanquam à Sanctissimis Ecclesiæ institutis abhorrentia, omnino fugientes, ad pietatis Christianæ studia, & ad orationem attentiores sint, proposita omni Christianarum actionum exercitatione.

Vigilia, & dies festus Parochiæ tutelaris Sancti, & eius vita qualiter, à Parocho, & subditis obseruanda, & recensenda. Cap. V.

**Q**uo religiosus incola Viciniisque Parochiæ festum diem colant, illius Sancti, sanctæve cuius patrocinio Parochialis Ecclesia dicata est, cohortationibus agat Parochus, ut pridie eius diei illi sanctè ieiunent,



animo piè repetentes tum ieiunia, tum religiosas alias eius sanctarum virtutum exercitationes: quarum meritis in cœlum ille vocatus, cum sempiterna gloria perfruatur, pro charitate, qua abundat eorum, quorum salutis patrocinium suscepit; preces Deo offerat, ieiunia item, & lachrymas. Tum idem illos admonere, atque vehementer in Domino cohortari non desistat, ut pietatis Christianæ officijs, sanctis operibus deuotaq; veneratione sancti illius diem festum colant; utq; ab omni seruili opere abstinere studeant.

Eodem præterea die sancti, qui Parochi & patronus est & custos, quò ad illius imitationem magis fideles inflammentur, id Parochis præstet, ut peracto Vesperarum officio, cum frequentior in Ecclesia populus adest, aut ipse, aut alius in suggestu, aliove loco superiori, de libro, quo illius vita, verè expressa continetur, res eius sanctè, admirabiliterq; gestas, religiosæ vitæ institutiona, morum disciplinam, pietatis studia, virtutes pronunciet.

Diebus festis qualiter à foro Iudiciali etiam in criminalibus desistendum sit. Cap. V I.

**Q**uo tempore ad salutem animæ, toto corde, totaq; mente, atque omni Christianæ pietatis officio incumbendum est; in iudiciali foro iunc aditus patefieri non debet ad iudicia, ad lites, & ad causas, quibus sæpè distrahuntur homines à pietatis officijs: nè aliquando Isaia Prophetæ illis vocibus nos Dominus grauissimè arguat; Ecce in die Ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis: Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis. Quare ne Quadragesimæ diebus, id quod & Liberij Pontificis Max. & Concilij Triburiensis Canone sancitum est, in aliquo foro, mane, quo tempore Missæ sacro, diuinis officijs, & verbi Dei prædicationi Christiani homines interesse potius oportet, ius dicatur, aut iudicia exerceantur.

Rei, ne festis diebus, diuino cultui dicatis, torqueantur; si modò criminis atrocitas, aliud non postulet.

Iter facturis die festo prius Missas quando audiat. Cap. V I I.

**N**e quis diebus Dominicis, festisq; ex Vrbe, oppido, aliove loco, cum iter facturis est, ante discedat, quàm Missa sacrificio interfuerit, nisi ad eum locum proficiscatur, vbi in tempore interesse possit.

Diebus festis, nè iter suscipiant Ecclesiastici, nisi ob necessariam causam. Cap. V I I I.

**E**cclésiastici verò homines, quicumque sint, & ij præsertim qui diuinorum officiorum celebritatibus in choro adesse debent, videant, atque adeo caueant, nè sacris illis diebus, quos in Dei laudibus, religiosisq; pietatis officijs, & in Ecclesia potissimùm à Clero consumi oportet; iter nisi ob urgentem causam suscipiant; ut hoc etiam eorum exemplo excitati fideles, sacris illis diebus à diuinis officijs opere itinerario non auocentur.

Primo Maij festo spectandæ, ludicræq; arbores ne erigantur; sed pro  
ijs, quæ pieras exerceri debeat. Cap. I X.

**C**alendis Maij, qui dies sanctorum Apostolorum Philippi, & Iacobi  
solennitati consecratus est, eum prauum vsu in diæcesi nostra retine-  
ri adhuc ad nos perlatum est; vt incise arbores frondescentes, per Vr-  
bem, oppida, vicos, & pagos in plateis, ac triuijs ludibundo spectaculo eri-  
gantur.

Id porro graue, atque eiusmodi esse animaduertimus, vnde pestiferum  
quoddam seminarium existit, non paucorum malorum, cum quidam homi-  
nes illius ridicula actionis cupiditate, atque voluptate prolapsi, Missæ sa-  
crificio adesse, eo die festo, perniciosè negligent; tum arbores alienas, sape  
in prædijs Ecclesiasticis confitas, surtim per vim, atque iniuriam præci-  
dant; Hinc illa manant conuitia scilicet, rixæ, contentiones, iniuriæ, odia,  
inimicitie, & aliquando cades. Accedit præterea tum vulgi clamor, tum  
bellicorum instrumentorum vehemens strepitus, quo diuina officia, sacræ ve  
conciones Valde perturbantur, & commestationes deinde, & compotatio-  
nes fiunt; quibuscum ebrietates, obscæne ve dicta, inhonestæ actiones, perni-  
ciosa ad omnia opera carnis illecebræ, & alia plurima mala perpetuè con-  
iuncta sunt, non sine nominis Christiani iniuria. Nos igitur, & sacrorum  
Canonum iure, & sacrosanctis sanctionibus, & Concilij in primis Tridenti-  
ni decretis, quibus corruptelas, à pietatis Christianæ vsu, & à dierum festo-  
rum præsertim cultu alienas, omni pastoralis vigilantia officio tolli iussum  
est, & nostræ etiam curæ, officijq; munere adducti, tantæ, tamque publicæ  
offensioni occurrendum censuimus. Quare Episcopus tum pænis, quouis iure  
sancitis, in eos animaduertat, qui in ea occasione diem illum festum, vel ope-  
re seruili, vel alia actione, illius rationi, sanctitatiq; aliena, violarint; tum  
præterea expositis grauissimis peccatis, & commostratis detrimentis, ac  
damnis, quæ plurima inde animæ, corporiq; eueniunt, fideles sibi in cu-  
ram traditos, à re illa perniciofa, quæ tanquam gentilitiæ superstitionis spe-  
ciem quandam exhibet, omni officio reuocare studeat ad omnes partes re-  
ligiosi cultus, quo eorum Apostolorum dies festus illis Calendis coli, san-  
ctificariq; debet. Ac proinde quidem abiectis illis ludibundis spectacu-  
lis, quæ turbulenta illa præcisarum arborum electione, voluptuario quodam,  
prophanoq; clamore, ac multiplici strepitu agebantur, fideles pietatis ope-  
ra diligentius amplexi, cum diem festum de Ecclesiæ more celebrent, Hym-  
nis, canticis, supplicationibus, processionibus, alijsq; sanctè agendi officijs.  
Arborum præterea loco, excitati imitatione sancti illius Apostoli Philip-  
pi, qui pro Dei gloria cruci affixus est, Sacrosanctam arborem crucis, in  
qua auctor humanæ redemptionis pependit Christus Dominus, tantò religio-  
sius locis conspicuis publicè erigant, quantò inutilius, olim prophanas eas  
arbores frondescentes erexerint.

Seff. 25.  
de inuo-  
cat. & ve-  
ner. sanc.  
& alib.

Atque in omni re hac efficienda, atque exequenda Episcopus, si quando vsui erit, magistratum etiam laicorum, auxilium, opemq; implorabit, prout expedire censuerit.

Quibus diebus festis, & qualiter sint ornanda Ecclesia. Cap. X.

**S**icut in anniuersarijs solennitatibus, sanctioribusq; celebritatibus festiuius canimus laudes, sollemniusq; Ecclesiastica celebrantes officia, modulamur organis, pretiosioriq; vestium apparatu induimur; ita diligentes nos domus Dei decorem, & locum habitationis glorię eius, curare debemus, vt quo spiritualis letitię nostrę manifestiora signa demus, diuinorum beneficiorum, quę ijs potissimum solennitatibus recolimus, memoria excitati, templa etiã ornatiõra, quã alijs diebus, appareant, tum ad augustiorem cultum, tum ad fidelium consolationem. Itaq; Die Natali Domini, & reliquis quatuordecim ceptis diebus, in Epiphania, Pascha Resurrectionis, in Ascensione, tribus Pentecostes diebus, in solennitate Corporis Domini, festoq; die Sancti Patroni, Ecclesiarum Cathedralis, Collegiatarum, Parochialium præsertim insignium, curet præfectus vniuscuiusque Ecclesię pro locorum ratione, proq; facultatibus, vt ianna, quemadmodum veteris instituti est, vsuq; Romano comprobati, & à beato Hieronymo laudati, frondibus etiam ornentur, prout tempora tulerint; tum parietes interiores, atque intercolumnina, peritromatis, aulais, tapetibus, sacrarumq; imaginum tabulis exornata sint. Quo in apparatu, ornatuq; sacrę imagines, etiam in ipsis foribus adhibeantur. Insignia verò & alia prophana absint.

Hebdomadę dies non planetarum nomine, sed feriarum, & sub earum numero describantur. Cap. XI.

Ratio. di  
uin. off.  
lib. 8. c. 5.  
nu. 2.

**H**ebdomadę dies, antiquato gentium, à fide Christiana abhorrentium more, non Stellarum errantium Luna, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Saturni, nominibus, sed ferię appellatione, & distinctione nominari Sanctissimus Pontifex Silvester decreto sanciuit. Quod cum non sine multo pluri ratione ab eo institutum sit, id Episcopus curet, vt omnis & ecclesiastica actio, qualis, qualis sit, quę vel in synodis diœcesanis, vel sacerdotilibus, clericalibusve conuentibus, vel in Canonicalibus capitulis, vel in foro Episcopali, vel vlllo alio loco, temporeve celebretur, non dierum, qui illarum Stellarum appellationem, adhuc etiam vulgo retinent nomine, sed feriã distinctione, & ordine recte notetur.

Dies festus Sancti Barnabę colendus. Cap. XII.

**D**ei munerere beneficioq; cum Ecclesia Mediolanensis prædicatione Sanctissimi Apostoli, Barnabę primùm fidei mysterijs imbuta, tum alię plerq; huius Prouincię Ciuitates Euangelij lumine illustratę, causam omnem festi illius diei, præcipuè colendi habent. Quamobrem dies eius Natalis, qui est tertio Idus Iunij, vt de more aliorum dierum festorum, qui à

Clero,

Clero, populoq; ex praecepto coluntur, piè & religiose sanctificetur Episcopus curet.

Liber, in quo Ecclesiarum dies festi, indulgentiaq;, & populorum solennes concursus; & si qui abusus extiterint, describantur; habendus. Cap. XIII.

**Q**uo religiosus in vnaquaque vicinia, tam Urbis, quam diœcesis, dies festi colantur, & sanctificentur, Episcopus certum librum constituat; in quem à Cancellario, cum omnes, singuliq; dies festi Parochiales, alijve, qui vbiq; in vicinia aliqua, vel Urbis, vel diœcesis vniuersè, sigillatim ve aguntur, tum reliqui etiam dies rectè, atq; ordine referantur, quibus indulgentiæ Iubilei, alteriusve celebritatis causa ad Ecclesias concursus esse solet. Quo libro deprauati præterea mores, abususve notentur, si qui illis celebritatibus, esse in ijs ipsis vicinijs solent. Atq; ijs quidem diebus exscribendis Episcopus ad cognitionem certam Parochos singulos adhibeat; quorum etiam officium sit, si qua noua Indies Indulgentia Ecclesijs suis accesserit, si qua ve alia celebritas, causa ve denuò inciderit, quamobrem populi concursus in Parochiali vicinia ad aliquam Ecclesiam fiat; de ea Episcopum certiorum fatere, vt illa, quæcunq; sit, in eundem librum referatur.

Liber idem Episcopo quando. & quare deferendus; & propterea qualiter populus admonendus. Cap. XIII.

**P**orro eum ipsum librum accuratè exscriptum, notatis mensibus, & diebus, quibus præcipuè illæ celebritates singulis in vicinijs, locisve aguntur, Episcopus ad se in singulos menses afferi iubeat; vt, cum vniuscuiusq; regionis, atq; adeo pagi, loci ve celebritatem certo die agi prospexerit; de illius sanctificatione, cultuq; literas etiam pastorales opportunè scribat; tum aliam præterea omnem diligentiam eo nomine adhibeat. Ex ijs verò literis, officijve Populus, clerusq; monitus, vsq; adeo Parochorum studijs etiam adiuuentur, vt, & vitæ Sancti, quem præcipuè veneratione colit, exempla ad imitandum, & Episcopi monita paterna, & decreta quoq; nostra eo de genere ad exequendum, sibi planè proponat: sicq; à morum corruptelis, quas praua consuetudo introduxit, in festorum dierum sanctificatione abstineat.

Qualiter anniuersarius baptismi sui dies à quolibet pijs operibus recolendus, & à parentibus etiam notandus.

Cap. X V.

**R**eligiosi instituti olim fuit, diem baptismi quotannis à fidelibus piè celebrari; id quod Sanctus Gregorius Nazianzenus aliquando ostendit. Quæ sanè institutio cum ad pietatis Christianæ cultum, piamq; morum

disciplinam

disciplinam non parum adiumenti, in primis adiutrice Dei gratia afferre possit: eam in usum revocari vehementer in Domino cupimus. Itaq; Parochus, & confessorius, prout occasio tulerit, cohortationis officio in id incumbant, ut fidelium, quorum curam gerunt, unusquisque quo die baptizatus est, quotannis ardentiori prece, eleemosyna, si per facultates potest, omniq; charitatis opere atq; officio, spiritualisq; gaudij celebritate; recolat, memor se chyrographo damnationis deleto, hereditatis celestis participem in Christo Domino factum esse. Qua in cogitatione cum semper aliàs, fereq; in singulos dies, ut beatus Chrysostomus monet, tum eo potissimum die sanctè sese excitet ad præclaram illam sponsonem, & Christianam professionem, quam in sacro lauacro per sponsores solenniter edidit. Repete, inquit, Sanctissimus Pater Ambrosius, quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renunciasti Diabolo, & operibus eius; Mundo, & luxuria eius, ac voluptatibus. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Parentum cura sit, diem ob eam causam notare, quo eorum filius Christo renatus est, ideoq; Parochus cum baptizaverit moneat etiam, ut id ab illis fiat, præter scriptionem, quam ipse eodem genere in Codice statum Parochialem referre debet. Baptismi verd dies, qui solenni illa abrenuntiationis sponsonem, professionesq; insignis est, ad omnè pietatis exercitationem, usumq; non pompis sæculi, non conuiuiorum apparatus, non luxu, non operibus tenebrarum, cum dies lucis sit, celebretur, sed sancta charitatis erga Deum, ergaq; proximum officijs.

## DE TESTIBVS. Tit. IX.

Quot, & quales testes synodales ab Episcopo deligendi.

Cap. I.



**V** testium Synodali munus, sicubi intermissum est restituitur, atq; non nomine solùm, sed certis officij partibus, rectè per eos geratur, quibus in synodo, vel provinciali, vel diæcesana committetur, hæc de illis eorumq; officio statuimus.

Primò viri Ecclesiastici ætate, moribusq; graues, prudentes, ac virtutum Christianarum studiosi, & spiritalis vitæ amantes, ab Episcopo è diæcesi sua septem, pluresve prout expedire viderit, testes synodales deligantur.

Quo in officio meminerit Episcopus pænæ in Concilio Lateranensi ab Innocentio. III. sancitæ, si in diæcesana synodo nullos synodales testes nominarit.

Qui ab Episcopo in ipsa diæcesana synodo iurati, allatis sanctorum pignoribus sanctè spondeat, ex formula verborum supra præscripta de iure iur. c. 5. muneris sui partes infra constitutas, se executuros esse.

c. Episc.  
35. q. 6. &  
ca. 6. inferius  
citas  
to. Concilii  
hoc  
Lateran.  
celebratum  
fuit  
an. 1215.  
positus  
est i. To.  
4. Conciliorum  
pænæ  
vero  
in c. 6. tit.  
de Concilii  
Provinc.  
in  
eodem  
Conci.

Electus

Electus testis synodalis ad onus suscipiendum compellendus.

Cap. I I.

**Q**uicumque siue absit, siue præsens adsit, testis nominatus, id vel officium suscipere, vel iusiurandum præstare recusarit, id ut præstet ab Episcopo compellatur, ac propterea si opus videbitur, cum eo multis etiam, & pœnis, censurisve agatur.

Qualiter synodales testes, electi absentes à Metropolitano per suas literas ad illorum Episcopum astringendi.

Cap. I I I.

**S**ynodaliū testium, qui constituto Concilij tempore à Metropolitano in vnaquaque Prouinciæ diœcesi, de more electi pronuntiabuntur, si qui absunt, nomina literis edantur, & consignentur, quibus literis ipse Metropolitanus Episcopo, cuius diœcesis causa nominati, ac delecti sunt, potestatem faciat astringendi illos iureiurando, quod certis conceptis verbis ex decreto Concilij Prouincialis quartæ ab ijs præstari oportet. Id Episcopus vbi è Concilio ad stationem Episcopalem redierit, duorum mensium spatio exequatur: de quibus ea accuratè præstita Metropolitanum per literas, & tantum nomine scriptas certiore faciat.

Qui iurauerint, testium nomina libro conscribenda.

Cap. I I I I.

**T**estium verò, qui vel Metropolitano, in synodo Prouinciali, vel Episcopo ex illius auctoritate delegata, iusiurandum præstiterunt; nomina à Cancellario fori Episcopalis, certo libro, eius iussu notentur.

Præmoriēte aliquo teste, alter in sui locum qualiter deligatur. Cap. V.

**S**i quando testis synodalis, à Metropolitano in synodo Prouinciali delectus, qui iuratus in diœcesi officium illius suscepti muneris gerat; antequam Concilij proximè futuri dies indicta venerit, diem suum obierit; Episcopi cura sit, de illius obitu metropolitanum certiore facere, qui alium in illius locum eligat; qui ex verborum formula concepta etiam iuratus, illius muneris partes, in diœcesi testis synodalis officio, charitatis zelo, sinceroque, debitæ sollicitudinis studio, strenuè in Domino prosequatur.

Viaticum testi synodali quomodo persoluatur. Cap. V I.

**E**piscopus testi synodali ad Concilium Prouinciale venienti viaticum, sumptusque, victui necessarios, à Clero aliquod, ante constitutum Concilij tempus contribui, ex synodi Prouincialis quartæ præscripto iubeat: aut alia ratione, quam potiore censuerit, pecuniam eo nomine necessariam; qua

postea

postea, vt ex illa contributione, mutuanti restituatur, quam primum curet; ne viatici difficultate impeditus ullam veniendi moram interponat, sed ad constitutum tempus, in Concilio præsens adesse possit.

Modus concedendi facultatem Clerico testificandi in foro  
Sæculari. Cap. VII.

**V**T frequentibus clericorum cuiuscunque gradus, & ordinis, quos in foro sæculari, concessu Episcopi, examinari sepe contingit, periculis occurratur, Vicarius antequam eius examinatione instituerentur, capitula, diligenter, & matura deliberatione perpendat. Clericum præterea de cuius examine agitur, ad se si libuerit, accersat, ac de eisdem rerum capitibus extra iudicium interroget.

Illud autem magnopere caueat, ne dum vnius defendendi causa, questiones, examenve de clerico haberi permittit, alteri, aliquam vel rei familiaris, vel pecunia, vel corporis, vel status, honorisve offensionem, aut diminutionem afferat; vnde cum sepe numero simultates, & cedes existunt; tum clericus etiam aliquando irregularitatis pœnam, maculamve contrahit. Quorum rerum si aliquam Vicarius suspicionem ex ijs ipsis capitibus cognoverit, de quibus questio instituenda est; nullam clerici examinandi facultatem ullo modo permittat. Vbi verò illam aliquando dandam esse iudicauerit, tunc certis capitibus nominatimq; explicatis iudicio suo prescriptam, literisq; comprehensam concedat permittatve. At verò semper clerico à Sacerdote iusiurandum deferri iubeat.

DE FIDE INSTRUMENTORVM.

Tit. X.

Quibus qualiterq; à capitulo cura eius Archiuij tradenda est, & que ab illis præstanda. Cap. I.



**C**ANONICI duo à capitulo constituantur, qui capitularis Archiuij cura præsent, hiq; singuli clauas singulas habeant, inter se differentes, ita vt vni sine altero Archiuium ingredi non liceat.

In illis autem constituendis ea ratio ineatur, vt in illa cura gerenda duo semper versentur; quorum vnus, qui biennio gesserit, creato in eius locum altero, ab illius cura munere abeat; alter autem, qui vno solum anno: sicq; perpetuò deinceps seruetur.

Archiuij Præsenti scripta omnia, in Archiuio recondita, periculo suo asseruanda, accipiant; idq; publici instrumenti testimonio. Si quid verò fortuiti casus acciderit, id obseruetur quod iure cautum est.

Quam quisq; eorum clauem Archiuij habet, eam & scripta fidei sua com-  
missa, munere sua cura biennalis confecto, successori eadem ratione tradat,  
idq; Canonico aliquo presenti à capitulo delecto.

Instrumenta, & alia scripta quomodo in Archiuum deferenda in  
libro notanda, & si opportuerit exemplanda.

Cap. I I.

**I**nstrumenta, & reliqua scripta, ad singulas Cathedralis, aut Collegiate  
Ecclesie prebendas pertinentia, quæ apud unumquemq; , qui vel digni-  
tatem, vel Canonicatum in ea obtinet, aut in posterum obtinebit, extabunt;  
is ea, aut illorum exempla, Notarij testimonio roborata, in capitulo Archi-  
uium, mensis spatio deferat. Sin autem aliqua, quo tempore is dignitatē, aut  
Canonicatum obtinet, cōfecta alijs habeat, is suis eorumve, quæ ad id se obstrin-  
xerunt, aut aliàs iure tenentur, sumptibus illa in Archiuum referat.

Quæcumque autem instrumenta, aut scripta ad prebendam aliquam spe-  
ctantia, in posterum conficiuntur; Canonicus, vel dignitatem, personatumve  
obtinens, ad cuius prebendam illa quacunque ratione attineant, ea, illorum-  
ve exempla publico Notarij testimonio munita, mense, postquam confecta e-  
runt, in Archiuum deferat.

Quæ autem instrumenta, scriptave singulorum, qui præcesserunt, Canoni-  
corum, dignitatemve obtinentium, tempore conscripta, ad eorum prebendas  
spectantia, Episcopus pro Ecclesie utilitate exscribenda censuerit, capitulo  
sumptibus descripta eodem deferantur. Quod si capitulum ad illos, qui ij suc-  
cesserunt, qui instrumenta illa, aut scripta confici curarunt, aliqua ratione id  
pertinere asserat, iudicet Episcopus, cuius sumptibus id præstari debeat. Qui  
huic decreto, à capitulo Præfeto admonitus, non paruerit, arbitrio Episcopi  
multetur, & multatus etiam compellatur id ipsum præstare.

In eo itidem capitulo Archiuo liber vnus sit, in quem instrumenta, &  
scripta cuiusuis generis, quibus singulorum Canonicatum, prebendarumve  
bona, iurave notata sunt, referantur.

Scripti alicuius exemplar ex Archiuo promi, describere nē liceat, nisi ca-  
pituli consensu, si verò alicuius scripti exemplum aliquando exscribi oportet;  
id in Archiuo si potest, alios in loco capitulo, aliquo ex Præfettis Archi-  
uij præfente, describi liceat, neque vlllo alio præterea modo.

Qualiter Pontificiæ constitutiones sint promulgandæ.

Cap. I I I.

**S**ummorum Pontificum constitutionibus promulgandis hæc ratio seruetur,  
vt si earum peruulgationi præfinitus in illis est modus, is adhibeatur,  
si verò nullus, ad peruulgationem satis sit affixio, quæ vt moris est, fiat  
certis publicis locis. Cuius affixionis, & peruulgationis relatio, testifica-  
tioq; ab eo qui affixerit, fiat Cancellario fori Episcopalis, cuius sit illam  
in librum referre.

Episcopi



Episcopi gesta eorum memoranda, ut libro inscribantur curent.

Cap. IIII.

**E**piscopus, id quod vel ab initio nascentis Ecclesie institutum fuit, ut rerum Episcopali studio, curaque gestarum monumenta existerent, conquiri diligentissime curet. Quae omnia literis consignari, ordineque conscripta, in librum certum referri curet, ut eorum memoria conseruetur, & quae ab iisdem, vel acta, vel instituta sunt, ad aliquam Ecclesiae disciplinae normam, perpetuo vsui esse possint, atque adiumento in illa Ecclesia benegerenda.

Qualiter beneficia, eorumque vacationes, & collationes, ac ipsarum diplomata, & sententiae, nec non ordinum literae in libro in Episcopali Archiuio reseruanda conscribantur.

Cap. V.

**L**iber conficiatur, isque in Episcopali Archiuio aseruetur. In quo libro diocesanorum beneficiorum cuiusvis generis, cum vacationis certa dies, ratio, modusque describatur, tum collationes, ac provisiones, ut vocant, quaecumque sint, vel à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, vel ab villo quouis alio factae literarum, diplomatumve exempla, vel sententiae summam explicatae, prout potius esse Episcopus censuerit, in eundem referantur.

Itidem seruetur de literis ordinum, quibus singuli, eiusdem diocesis Clerici initiantur.

Cancellarius capitularis eligendus, & quid ei agendum sit.

Cap. VI.

**V**bi ex instituto Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae est, qui Cancellarii capitularis officium, munusque gerat, is officio suo, cum in ceteris vere satisfaciat, tum in eo etiam, ut eiusmodi capituli acta, & quas vocant, capitulares ordinationes, actionesve in librum certum, notatis singulis diebus, sine mora referat. Qui liber in Archiuio capitulari diligenter aseruetur. Ubi vero non est, à capitulo deligatur vnus de capitulo, qui certa, si opus est, ex capituli vniuersi censu constituta mercede, id Cancellarii munus per biennium gerat; quo tempore confecto, alter in eius locum eligatur, & itidem deinceps, nisi aliud Episcopus iudicauerit.

Notarii autem opera quando, & qualiter utendum.

Cap. VII.

**N**otarii autem officio, atque opera, capitulum in ijs potius actionibus utatur, quae ad causas, lites, instrumentaue publica conficienda, aut ad alia eiusdem generis pertinent.

Qui Notarius, eiusmodi instrumentum exemplum, publica auctoritate roboratum, curante in primis Canonico Cancellario, in Archiuum, ante annum confectum referat.

Formulae quaedam editae, à Notarijs habendae. Cap. VIII.

**F**ormulae certis verbis conceptae, atque explicatae ab Illustrissimo Domino meo ad huius provinciae usum in lucem emissae, ab omnibus, & singulis Notarijs, pro concepta constitutaque ratione seruentur.

Criminales processus in libro describendi. Cap. IX.

**F**ori episcopalis Cancellarius, ac Notarij certos libros habeant; in quibus causarum criminalium actiones, quaestiones, ac quos vocant, processus recte, ordineque describant, nec verò in folijs.

Merces Notarij, vel scriptoris recepta qualiter notanda.

Cap. X.

**M**ercedem praeterea, quam ex vniuscuiusque causa, vel civilis, vel criminalis scriptione actione, & processu acceperint, cum in libro certo exscribant ipsi certis diebus singulis, quibus eam mercedem, aut partem acceperint, & mense annoque notatis; tum in ipsius causae, processusque, acti, conscriptique, sine adscribant item.

Notarij non nisi praevio examine, & idonei admittendi.

Cap. XI.

**V**t ne ex Notariorum imperitia detrimenta, & litium occasiones existant, quod de ipsis etiam Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creatis, Tridentina sanctione decretum est; id Episcopus studiosè exequatur, ut eorum peritiam, usumque, etiam examinatione adhibita, perquirat. Quicumque verò Notarij, ea per examen disquisitione facta, probati non sint, officij sui in negotijs, litibus, causisque, Ecclesiasticis, & spiritualibus exercitatione, atque usu per illos, vel perpetuò, vel ad tempus prohibeantur, ad eiusdem Concilij praescriptum.

Sess. 22.  
c. 10. de  
refor.

Quae pro examinandis ad beneficia Notarius praestare debeat. Cap. XII.

**I**n omni examinandi ratione Cancellarius pro sui officij munere haec praestet.

Certum librum habeat provisionum Ecclesiarum Parochialium, aliorumque beneficiorum, quae examine adhibito, etiam ex literis Apostolicis, conferenda sunt.

Quo in libro recte, atque ordine ab eo notentur haec.

Acta examinis, quae in singulos dies, prout examinandi occasio tulerit, fiunt.

Dies vacationis certi beneficij, & modus item vacationis, aliaque id generis.

Dies etiam promulgationis, aut prorogationis edicti, quod de concursu pro-

poni so-

poni solet; cum beneficij vacationis ratio id postulet, & reliqua etiam, quæ ad promulgationem pertinent.

Nomina quoque examinatorum, quos Episcopus certi illius beneficij vacantis nomine ad examen conficiendum nominatim delegerit.

Nomina etiam eorum, qui eo nomine examinandi proponuntur.

Dies præterea, quo quisque examen subijt.

Nomina etiam examinatorum, qui interfuerint.

Approbatio, aut reiectio, quam eorum iudicio singuli tulerint.

Nomen item, & cognomen eius, quem Episcopus tanquam aptiorem, magisq; idoneum delegerit, cui beneficium ab eo conferatur, ad quem spectat.

Cui libro alia præterea adscribat, quæ Episcopus censuerit.

Quid item pro concionatoribus, Confessarijs, & Lectoribus, Ordinandisq; & alijs examinandis. Cap. XIII.

**L**ibrum alterum conficiat, in quo omnes, & singulos, quos vel concionandi, vel confessionis audiendæ, vel sacræ lectionis interpretandæ causa Episcopus adhibito examine, vel probat, vel improbat.

In hoc ipso libro notet etiam, & nomina examinatorum, & diem, quo examen confecerint, & causas item repulsæ, si quam aliquis tulerit.

Id ipsum de certo die, examine, prolatione, aut reiectione eorum seruet, quorum experimentum sacræ ordinationis causa fit.

Tertium librum habeat in quem examina referat, quæ generatim instituantur, atque adeo conficiuntur ad cleri progressionem in literarum studijs inuestigandam, atque explorandam.

Quæ item formula per Notarium asseruanda. Cap. XIII.

**I**udiciorum, causarumq; forensium, tum etiam omnium literarum, expeditionum formula, quæ ad fori Episcopalis rationem, rectè instituendam, & tuendam, quæque ad deprauatos vsus tollendos pertineat, Concilij Quinti Prouincialis auctoritate conscripta accuratè, diligenterq; seruetur.

## DE APPELLATIONIBVS. Tit. XI.

In visitatione per Episcopum prouisa, non obstante appositione, & inhibitione exequenda. Cap. I.

Sess. 24.  
c. 10. de  
reformat.



**E**PISCOPVS, in ea visitatione, vel morum correctione etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, auctoritate Tridentini Concilij statuat, moderetur, puniat, & exequatur ad sacrorum Canonum præscriptum, quæcumque illi ex prudentia sua pro subditorum emendatione, & diæcesis utilitate necessaria videbuntur. In ysi

Quando

neque vlla inhibitiō, appellatiō, aliudve quicquam impediāt, aut retardet executionem eorum, quæ ipse mandarit, aut iudicarit, decreuerit ve.

Quando ab interlocutoria, & diffinitiva appellatiō admittatur, & quæ ac qualiter suspensionem, ac transmissionem actorum operetur, nec ne. Cap. II.

**Q**uod Concilij Tridentini decretis sancitum est, vt in visitationis, correctionis, habilitatis, inhabilitatis, & criminum causis ab interlocutoria ante diffinitiuam sententiam, aut ab alio quocumque grauamine ne appelletur; ita omnis, ad quos pertinent, id exequantur, vt non modo appellatiōne, non deferatur, sed neque Metropolitanus ad quem appellatum est, ante diffinitiuam sententiam cognitionem grauaminis suscipere potest, aut ne simpliciter quidem acta cause sumptibus appellatis mitti mandare. Vbi verò sententia diffiniens lata est, quæ ad causas visitationis, & correctionis pertinent, appellari liceat, ita tamen, vt illius executionem non retardet, impediātve appellatiō.

Quod si de grauamine agitur, quod per appellatiōnem à diffinitiva reparari nequeat, quale est grauamen indebitæ carcerationis tunc appellatur licet, & appellatiōni planè deferatur. Nec verò prohibeatur, quominus acta causa ad iudicem appellatiōnis deferantur.

Interea verò idem, cuius causa agitur, in carcere permaneāt, quoad causa cognita, iudex, ad quem appellatum est, aliter iusserit, decreuerit ve. Si verò causa correctionis est, vt potè, eum quis iniquè in carcerem se coniectum esse, aut diutius in eo fuisse conqueratur, & Metropolitanum propterea appellet; de prætenso excessu is cognoscat licet, dummodo, quæ ordinarius iudex decreuerit, eorum executio intereā non impediatur.

## DE OFFICIO PRAEDICATORIS. Tit. XII.

Quid muneris incumbat Prædicatoribus. Cap. I.

**I**s autem, qui prædicandi officio, aut quacumque ratione fidelibus Christianam doctrinam tradendi munere funguntur, eam viam, & rationem ineundam proponimus, quam in libello pro sola Prouincia Mediolanensis, hoc de genere Sanctæ memoriæ Cardinalis Borromensis edidit.

Prosequutio prædicatorum. Cap. II.

**H**anc etiam rationem habeant, vt non solum Dei, & Ecclesiæ præcepta seruanda esse doceant, sed modum illis tradant quo ea ex Dei voluntate seruare oporteat.

<sup>a</sup> Circa prædicationis actum, quæ sint attendenda vid. Sebast. Med. in libello de Promouen. Episc. c. 8. fol. 195. & sequentibus, vbi etiam querit an taciturnitas prædicationis, in prælatis, sit peccatum.

Ses. 13. c. 1. 22. c. 1. & 24. ca. 20. de re-form.

A corre-  
ctiōe nō  
appella-  
tur, c. li-  
cer. de of-  
fic. ordi.  
c. Ad no-  
stram, de  
app. nisi  
corrigēs  
modū ex-  
cedat, gl.  
in d. c. li-  
cet, in  
ver. iter-  
clusum,  
& in d. c.  
Ad no-  
stram, in  
ver. Mi-  
n<sup>o</sup>, quod  
multipli-  
citer fie-  
ri potest,  
sicut dici-  
tur à exe-  
cutore.  
glos. in c.  
Ad cōsul-  
tationē. i  
ver. exce-  
datur, de  
re iudi. à  
quo argu-  
it. d. gl. in  
ver. Mi-  
nus.

H A quibus

## A quibus caueant prædicatores. Cap. III.

**M**axime verò caueant, nè quod præceptis, <sup>b</sup> & hortatu edificent, <sup>c</sup> id vita & moribus destruant; nè cum alijs prædicauerint, <sup>d</sup> ipsi reprobificiantur. Indulgentias populo ne publicent, <sup>e</sup> nisi de consensu Episcopi.

Pauperes, quando à concionatoribus comendantur: & qualiter eleemosinas colligant. Cap. IIII.

**N**eminem populo, paupertatis nomine, commendent, nisi is testimonium scriptum ab Episcopo attulerit, neque ei inter concionem permittatur, ut eleemosinam à quoquam petat in Ecclesia; sed aut ad fores Ecclesie stet; aut per eos, qui eam curam susceperint, id negotium ita commodè, ac celeriter agatur, ut minimè concionem impediatur.

Quando habenda concio; & interim à quibus desistendum sit. Cap. V.

**S**acra concio noctu nunquam, sed opportuno tempore Episcopi præscripto habeatur.

Dum habetur, nec Missa, aut hora Canonica clara, aut submissa voce, in ea Ecclesia dicantur.

Pro festis solennibus, processionibus, ac Iubileis; quando & à quibus, quæve docendus est populus. Quando item Parochi intra suos fines concionari regulares non permittant. Cap. VI.

**A**nniuersaria festorum, solenniumq; dierum quadam quasi vicissitudine, & stas, pro solennitatibus, temporumq; ratione sacris ceremoniarum ritibus, Dei Ecclesia, à spiritu sancto instructa, redemptionis nostræ mysteria, & sacras alias actiones in anno, tanquam uno libro descriptas, fidelibus proponit; qui, si minus ad ea instructi sunt nec quæ sancte, religioseq; aguntur, intelligunt; non eum fructum, quem alioqui perciperent, capiunt. Quod igitur diligentius illi instruantur, indiesq; magis accendantur, ad publicas sacras actiones, & mysteria colenda, quæ stas anni solennitatibus, & temporibus Ecclesia Dei celebrat; Episcopus tum ipse aliquando, tum concionatores, & Parochi certis ijs diebus, quibus illa agi, celebrari contigerit, populum doceant, cum sacrosancta ea mysteria, tum religiosum eorum anniuersarium cultum, tum sanciores statarum in ijs colendis sacrarum ceremoniarum, ac rituum rationes, & significationes.

Itidem, cum solennes aliqua statæ processiones, vel aliæ supplicationes, aliqua, publica causa indictæ, aguntur, vel Iubileum, in vniuersa Ecclesia in-

dictum,

b Cōcor  
det ser-  
mo cum  
vita. Seni-  
ca. Tru-  
gill. in  
Thef. Cō-  
cil. lib. 5.  
c. 15. nu-  
50. col.  
132. 1.  
Tom.  
c Faciat  
quod præ-  
dicat. Hæ-  
20. D. Pa-  
ul. ad Ro-  
2. opti-  
mū præ-  
beat exē-  
plum. 1.  
Corin. 4.  
verbis 1.  
& rebu-  
doceat. 2  
Cor. 10.  
ibi. Qua-  
les sumus  
verborū.  
d Ad Co-  
rin. 1. c. 9.  
in fine.  
e Pie ut  
literque  
monet  
Synod.  
Cabilo.  
2. Can. 2.  
Tom. 3.

dictum, celebratur; conciones ab eisdem habeantur, quibus præter cætera explicentur causæ, quamobrem aut Iubileum celebre tur, aut illæ supplicationes fiant; tum excitentur, atque admoneantur fideles quæ religiose incumbendū sit ei sanctæ actioni, quidq; ab illis præstandum, ut illius Iubilei spirituales diuitias ipsi consequantur.

Ut autem religiosa animi præparatione hi solennes dies à fidelibus colantur; non satis illi id esse putent mysteria illa à se sermonibus, concionibusve, ijs ipsis diebus, quibus celebratur, explicari, sed festis etiã, aut Dominicis diebus, eas sacras, vel solennitates, vel actiones proximè præcedentibus, eosdem concionibus instruant, & eorum animos, mentesq; preparare, atque inflammare studeant, cum ad omnem religiosum mysteriorum, quæ sanctè agentur cultum, tum maxime, pro solennitatum ratione, ad pœnitentiæ Sacramentum, & ad sacram Eucharistiam sumendam.

Id verd etiam seruetur, cum stata ieiuniorum tempora, Aduentus Domini, Septuagesima, & eiusmodi instant.

De Sacramento etiam chrismatism populum instruant in illis Pentecostes diebus, quibus potissimùm ab Episcopo id Sacramentum solenniter administrari solet.

Parochi autem id omne instruendi populi officium præstent ad præscriptū instructionis editæ Metropolitanæ cura, ad communem Prorincia vsum.

Ne patiatur Parochus, cuiusvis ordinis regulares in ordinis sui Ecclesiis, intra fines Parochiæ suæ sitis, concionem habere, nisi ex scripto testimonio perspexerit, eos muneris eiusmodi in illis Ecclesiis obeundi causa, se ad Episcopum cum concionandi facultate, quam à superioribus suis ipsi obtinuerint, contulisse: & benedictionem, ut Tridentino Concilio cautum est, ab eodem petiisse, neque itidem in alienis eiusdem Parochiæ Ecclesiis, nisi ibi concionandi facultatem, sibi ab Episcopo literis concessam illi ostendant.

Quæ Prædicatoribus præscripta sunt in literis facultatis, seu benedictionis per Episcopum tributæ describantur.

Cap. VII.

**Q**UAE in Concilio Prorinciali primo de prædicatione verbi Dei, & quæcunque item alia concionatoribus à nobis præscripta sunt, ea quò diligentius seruentur, illam cautionem adhibeat Episcopus, ut cum eorum cuiquam in sua diœcesi concionandi potestatem faciat, vel benedictionem impartiet, illa omnia, & alia eo de genere in nostram concionatorum instructionem, ad communem prouinciæ vsum, simul redacta, & quæ item Episcopus Ecclesiæ suæ rationibus accommodata, ab illis seruanda censuerit, illis literis describi iubeat, quibus vel concionandi facultas permittetur, vel præsentationis, postulat æq; benedictionis testimonium fiet.

Recedentes nondum absoluta per Parochum concione, qui deferendi, & puniendi. Et Indulgentia corripientibus blasphemus qualiter denuncianda. Cap. VIII.

**Q**uoniam Parocho concionanti, nonnulli parum salutis suæ memores, cum ad illius concionem conueniunt, sæpe discedunt ea non absoluta, ideo debiti in hoc genere officij sui eos crebro Parochus admoneat, prout necessarium esse viderit, Quod si quos aliquando monitos ex Verbi Dei, uel Parochi concionantis contemptu in contumacia perseverare animaduertit, illos ad Episcopum deferat, qui pro culpæ gravitate eosdem afficiat, tum alijs pœnis, tum si opus est, Sacramentorum communione priuet, a ad Carthaginensis Concilij præscriptum.

a c Sacerdote, de conf. di. 1. quo cauti est, de sedem excōmunicari debere, quod tamē de contem- nenti in- telligit, per glōf. ibid. & Durāt. in rat. diu. offic. lib. 4. c. 26. n. 5. titu. de prædicatione.

b Vid. in fra d. Maledicis, & blasphemis, c. 4. ad fi. c In Cōcil. Late- ran. Sess. 9. sub tit. referma- tiōes, cu- rium, & aliorum, vers. Ad abolen- dam, To.

5. quo loco pœnæ declarantur, quibus blasphemus afficiendi sunt, & ut in foro conscientie, absque gra- uissima pœnitentia arbitrio seueri confessorij iniuncta, absolui non possint, statutum est, Mandol. in An- nal. cas. num. 87.

Parochus, & concionator sæpe, prout opus esse animaduertit, b illam decem annorum Indulgentiam edicat, ac denunciēt, quam Summus Pontifex Leo X. in Lateranensi Concilio toties cuiusvis concessit, c quoties aliquem blasphemantem accusarit.

Alteri concionanti, Sacerdos sacrum faciens quomodo assistat. Cap. IX.

**C**um non is Sacerdos qui sacrificiū missæ facit, sed alius intra missæ cele- brationem, sermonem, concionem ve habiturus est, is suggestum ascēdat; interea verò Sacerdos celebrans loco à laicis segregato, & ab altari paululum remoto, non extra tamē capellæ fines, in qua missa celebratur, sacris vestibus indutus, cum duobus ministris, scilicet Diacono, & Subdiacono, si illi in missa tunc adhibiti sunt, ab utroq; latere confidentibus sedebit.

Quando liber sacrorum, quæ exponuntur per concionantem ante habendus. Cap. X.

**E**piscopus, Parochusve, vel alius Prædicator Sacrum Euangelium, aut etiam scripturæ sacræ partem, coram populo, etiam è loco superiori tra- ctans, collocatum ante se aliquando, cum viderit expedire, habeat Euangelij, aut sacræ scripturæ librum; de quo ipse, aut etiam minister, cum Episcopus est, per membra; clausulas, & sententias distinctè eiusdem Euangelij, sacræve scripturæ verba pronuntiet; quæ ipse scilicet, vel Parochus concionando, quo ordine leguntur, sigillatim populo explicet.

Qualiter, & qui minister Episcopo, in lectione libri deseruiat.

Cap. XI.

**M**inister verò, in hoc munere legendi, Episcopo Archidiaconus sit, vel Diaconus Canonicus aliusve denique, quem Episcopus elegerit, isq; ante illum capite aperto stans, de libro verba distincte pronuntiet.

Dum concionatur, Episcopus, reliquiq; omnes, etiam regulares, à prædicatione desistant. Cap. XII.

**Q**uod à Clemente Quinto Pont. Max. in Concilio Viennensi, de prædicatione verbi Dei constitutum est, id omnis Ecclesiastica ratio suadet ad usum vel reuocari, vel introduci. Quia igitur hora Episcopus id officium præstat, ne quis alius, cuiuscumque ordinis est, illa ipsa hora, in ea vrbe, oppido, vico, locove, vbi ille prædicat, etiam in Ecclesia regularium, aut alias exempta, sermonem, concionemve habeat, nisi facultate ab illo impetrata.

Clem. 2.  
incip. Du-  
dum. de  
sepult.

Nil Prophanum inter missarum solemnia denuntiandum.

Cap. XIII.

**N**ec Parochi, Sacerdotesve alij, intra missarum solemnia, quicquam, quod prophanum sit, quodq; ad rerum huiusmodi enuntiationem attinet, de altari populo pronuntient, aut emulgent.

Parocho non idoneo concionator adiutor statuta mercede, per Episcopum detur. Cap. XIII.

**P**arochis non idoneis ad munus suum obeundum, in pascendo sibi commissum populum verbo Dei, coadiutor eo in onere sustinendo, in Quadragesima detur ab Episcopo, cum ea mercede, aut elemosina, ad eius sustentationem à Parocho persoluenda, vel ab ijs, qui hoc onus solent sustinere, quæ eidem Episcopo videbitur congrua.

Populi ad eorum solitam Prædicatoris sustentationem compellendi. Cap. XV.

**P**opulus, & vniuersitas detrectans subministrare victum, vt antea consuevit, concionatori, solitamve elemosinam ad eiusdem vitæ congruam sustentationem, omni iuris ratione, etiam interdicti pœna ab Episcopo ad id compellatur.

Dum concio habetur, à missæ sacrificio desistatur.

Cap. XVI.

**D**VM vel Episcopus, vel Parochus, vel alius sermonem, concionemve habet; ne eo ipso tempore in Ecclesia, vbi habetur, in eiusve aliquo sacello, missæ sacrificium ab vno quouis Sacerdote fiat.



Concil.  
Lateran.  
sub Inn.  
3. ca. 3. §  
Quia ve  
ro. To. 4.  
Concil.  
Tri. Sess.  
5. c. 2. de  
refor. E.  
Sess. 24.  
c. 4. de re  
for. Co.  
Late. sub  
Inn. 3. c.  
10. To. 4.

Cuius expensis Episcopus aliter impeditus de prædicatore  
prouideat. Cap. XVII.

**E**PISCOPVS, si legitime impeditus, in Cathedrali Ecclesia prædicationis munus per se ipse non potest, id per alios qui idonei sint, ex decreto Conc. Trid. præstet, impensis scilicet suis, nisi immemorabilis consuetudinis sit, eas ipsas impensas ab alijs; illo prædicationis nomine fieri.

Prædicatores quicumque ab Episcopo eligendi. Cap. XVIII.

**E**PISCOPI solum sit, abrogatis quibuscumque contrarijs consuetudinibus, & privilegijs, & in Ecclesia Cathedrali, & in alijs, non modò iurisdictioni suæ subiectis, sed etiam in exemptis, quæ curata sunt, concionatorem liberè deligere, atque constituere.

Idemq; ad eum spectet in Regularium etiam Ecclesijs, vbi pro maiore commoditate, consuetudinis, morisq; est, populi vniuersitatisve aut pij loci scholæ, aut confratriæ, etiam laicalis sumptibus, uel eleemosinis collectis, vel legato pio, aliave huiusmodi ratione, quotannis certo stato tempore permisso Episcopi concionem haberi.

Nec alteri quouomodo spectet electio, etiam si ab eo subministrari debeat concionatori eleemosina, ad quam nihilominus cogatur. Cap. XIX.

**N**E C verò illius deligendi, constituendive ius vlla ratione competat, neque ipsi regularibus, etiam per turnum, neque vniuersitati, neque magistratui, neque loci pii administratoribus, confratriæ, scholæ, etiam laicali, nec illi cuiquam laico, etiam si ei eleemosina, alimentave, è publico, aut è confratriæ, aliove modo, ut supra suppediteur subministrantur ve. Quæ, ut nihilominus subministrantur, atque adeo persoluantur ab iis, qui solent, aut alia quacunque ratione debent, omni appellatione postposita, Episcopus cogat, ut Concilio Prouinciali Quarto cautum est.

Peritia prius probetur, antequàm facultas prædicandi concedatur. Cap. XX.

**N**E M I N I autem concionandi facultatem concedat Episcopus, nisi, præter alia, uel examine, uel alia ratione, pro arbitrio suo, illius scientiam, & peritiam in eo munere probarit.

Modus percipiendi fructum ex concione à prædicatore populo infinuandus. Cap. XXI.

**C**oncionator doceat sæpe populum modum audiendi concionem, fructumque congruentem ex ea percipiendi, iuxta luculentè tradita, & piè per Illustrissimum Dominum meum in Concilio Quinto Prouinciali, in titulo, Quæ ad prædicationem uerbi Dei pertinent.

Qualiter

Qualiter prius concionatores examinandi sint. Cap. XXII.

**C**oncionatores examinentur antequam admittantur ad præscriptum Concilij Quinti Prouincialis, vbi doctè, & luculenter Illustriss. Dominus meus, quæ sunt interroganda præscripsit.

Quando concionatori colligendam pecuniam proponere non liceat. Cap. XXIII.

**C**oncionator in Vrbe, ne sine scripta Episcopi facultate pecuniæ collectam, inter concionandum proponat, faciat ve, neq; itidem in diœcesi sine Vicarii Foranei licentia: licet tamen concionatoribus Regularibus in eorum Ecclesijs, absque facultate illis tradita ab Episcopo, siue eius Vicario, sua monasteria populo commendare.

Nec se pro elemosyna commendare, sed quibus hoc liceat. Cap. XXIII.

**N**ec verò elemosinæ causa concionatori se ipsum commendare liceat: ab alijs tamen pijs honestisq; hominibus eius causa, de Episcopi licentia conquiri, & colligi uetitum non sit.

Nemini etiam regulari, & quamuis exempto qualiter concionari permittitur. Cap. XXV.

**N**e in Monasterijs quidem, & locis, vbi regulares spiritualem, temporalemq; iurisdictionem habent, quisquam Ecclesiasticus homo, etiam regularis exemptus, prædicationis munus obeat, nisi primò ab Episcopo probatus, intra cuius diœcesis fines, ea monasteria, loca sunt: Regulares uerò à suis superioribus approbati, ac de eorum licentia, in Ecclesijs suorum ordinum prædicaturi antequam prædicare incipiant coram Episcopo personaliter cum ipsa licentia se presentent, ab eo benedictionem accepturi; sine qua benedictione, aut Episcopo contradicente, prædicare non præsumant: si quis contra fecerit, ei pœnæ, & censuræ constitutæ sint, contra alios sancitæ.

Concil.  
Lateran.  
sub Inn.  
3. Can. 3.  
§. Quia  
vero. To.  
4. Conc.  
Trident.  
Sess. 5. c.  
2. §. Regu-  
lares, ve-  
rò de re-  
form.

## DE CLERICIS PEREGRINIS. Tit. XIII.

Clericus alienæ diœcesis adueniens, qualiter denuntiandus, literæq; eius commendatitiæ comprobandæ. Cap. I.



**Q**UOD Patrum decretis & Tridentino Concilio sancitum est, nè alienæ diœcesis clerici absque commendatijs literis ab ullo Episcopo recipiantur; quòd facilius illud executionem habeat, Parochus quispiam, vbi primùm cognouerit in Parochia sua Ecclesiasticum hominem alienæ diœcesis, vel domicilium consti-

Sess. 23.  
c. 16. ver.  
Nullus  
præterea  
de refor.

a Vt irreuerentia eccitatur singuli episcopi, i suis diebus interdiciant ne cui vago, & ignoro Sacerdoti, Missas celebrare liceat, verba sunt Tri. Cōc. Sess. 22. i Decreto, de vitandis in celebratione missæ. b Cōcordat. c. extraneo. 71. dif. 12. c. tuz, ex hoc fit. c In Cōcil. Laodicensi statutū fuit, ne Clericus, vel Laicus, siue in iussione episcopi, peregrinetur, id quod refertur i c. Non oportet, & consecr. dist. 5. ex quo notatur, Episcopi literas habet qui peregrinari volet.

cuisse, vel apud aliquem diuertisse, <sup>a</sup> vel in caupona hospitio exceptum esse, vt aliquod dies commoretur; quam citissime poterit octo ad summum dierum spatio eius nomē, & patriam, <sup>b</sup> si in Vrbe est, Episcopo, eiusve Vicario; sin autem in diocesi, Foraneo Vicario illius regionis denuntiet. Eorum autem cuius cura sit, illum ad se, accrescere, mandareq; literas commendatitias sibi ab eodem ostendi; quas tamen Vicarius Foraneus non comprobabit, nisi consulto Episcopo. In ijs autem comprobandis ea seruentur, quæ superiori item Prouinciali Synodo hoc de genere constituta sunt.

Clericus accingens se peregrinationi ad quæ prius teneatur.

Cap. I I.

**N**E quisquā Sacerdos, clericusve cuiusvis ordinis, peregrinaturus, itineri, peregrinationis causa sine literis dimissorijs, ac testimonialibus Episcopi se committat, <sup>c</sup> vt Canone veteri sancitum est, tum præterea, nec sine benedictione, quàm Episcopus, vel alius ab eo deputatus Sacerdoti, clericove peregrinaturus statis precibus, libro Sacerdotali, ritualive præscriptis impartiet. Iis sanè literis à Cancellario adscribantur hæc singula capita, Sacerdoti, clericove peregrinanti infra præscripta, quo accuratius ab eo illa seruentur.

Qualiter Comites denuntiandi & incumbendi. Cap. III.

**P**eregrinationis Comites, quos sibi adiunxerit, cum in viam se daturus est, Episcopo, aut Vicario, exponat, quorum Comitum nomina à Cancellario literis dimissorijs adscribantur.

Quid de Clerico beneficiato. Cap. IIII.

**S**I quis item peregrinaturus, Ecclesiam Parochialem, aut capellam, aliudve cuiusvis nominis beneficium Ecclesiasticum obtinet, cui ministeriū aliquod debeatis, vt Episcopus opus esse censuerit, Sacerdotem, vel Clericum qui eidem Episcopo, Vicariove probatus sit, pro ratione ministerij ante substituatur, quàm iter suscipiat, ne Ecclesia debito ministerio et cultu careat; cuius rei, per se præstita testimonium scriptum, aut Episcopo, aut Vicario exhibeat. Si verò, quem substituerit, aut alij, quem Episcopus maluerit, scilicet aliquod dierū peregrinationem facturus est, vestes sacras, ornamenta, libros, scripta, omnemq; Ecclesiasticum suppellectilem committat; indice eorum omnium sigillatim, ac diligenter confecto, eo scilicet præsentem, cui hoc munus Episcopus dederit; ne ex eius absentia aliquod detrimentum Ecclesia patiatur.

Prosequutio prædictorum. Cap. V.

**D**Einde is, vel Sacerdos vel Clericus antequàm peregrinationi se committat, peccata primò confessus, tum si Sacerdos est, missæ sacrificiū, quod est pro iter agentibus, offerre; si Clericus inferior, sacram Eucharistiam sumere, studeat.

Qua-

Qualiter incedere debeat. Cap. VI.

**I**n itinere, clericali habitu contractiori, omnis Sacerdos, & Clericus, dum in peregrinatione est, uti possit; pileum autem induat, clericali ordini congruentem, & à Laicali vestitu distinctum.

Tonsuram, & horas Canonicas nè omittat. Cap. VII.

**T**onsuram clericalem perpetuò habeat. Nè itineris causa Canonicas horarias, diuini officij preces omittat; ac tum etiam statuta de præcepto Ecclesiæ ieiunia seruet; nisi cum legitime excusatus est.

Quomodo Missam celebrare, vel ei interesse debeat. Cap. VIII.

**S**i sacerdos est, ubi probatus fuerit, missam quotidie celebrare curet: at vero Dominicis, & festis diebus, id facere non omittat; singulis uero diebus, siue Sacerdos, quando ipse non celebrat, siue Clericus, missæ sacrificio interesse studeat.

Itinerarium quotidie recitet. Cap. IX.

**M**ane singulis diebus, præter officium diuinum debitum, preces etiam illas piè recitare curet, quæ itinerarij nomine appellantur.

Qualiter Sanctæ peregrinationis suæ exemplo, & verbo Laicos instruat. Cap. X.

**I**n omni denique itinere, quod sanctæ peregrinationis causa suscepit, eum se vitæ moribus, omniq; actione præstare studeat; ut piè, religioseq; peregrinandi exemplum laicis præbeat; quorum si aliquem Socium, & Comitem habet, sanctis peregrinationis exercitationibus, atque rebus ad salutem instruere curet.

Quos sibi Comites renuat. Cap. XI.

**H**ebræis, & mulieribus Comitem non se adiungat, neque eodè curru, cum eisdem vehatur, neque item eodem nauigio, ut scâdalum euitetur, si aliter sibi consulere poterit commode.

A Prophanis caueat: Spiritualibus vacet. Cap. XII.

**N**e ijs etiam se adiungat in via, nisi necessitas coegerit, qui dum iter faciunt, prophanis cantionibus, cytharis, alijsve musicis instrumentis utuntur.

Abstineat item ipse à prophanis canticis, & colloquijs eiusdè generis, quorum usu, pietatis, in peregrinationem suscepta, studium refrigescit. Psalmis, Hymnis, canticis, præcariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi, ac rerum diuinarum meditationibus vacet; spiritualibus item sermonibus, si Comites habet, quibuscum loquatur, corporis, vel animi lassitudinem subleuet.

Quando

Quando hostiatim non quæritet. Cap. XIII.

**N**E hostiatim victum quæritet, nisi ex voto, vel alia causa, ab Episcopo probata, & facultate nominatim scriptis impetrata.

Loci quo peruenerit in Ecclesia, postquam preces fuderit, ad quos diuersabitur. Cap. XIII.

**C**UM ad aliquem locum Vesperis peruenerit, Ecclesiam, quæ eo loco est, antequam ad hospitium diuertat, religiosè adeat, si potest: vbi supplicet orationibus, vel alias religiosas preces recitet.

Si apud religiosos homines, vel apud alios viros honestos diuersari commode potest, ab hospitij publicis abstineat.

Mensæ discubuturus, quæ agat. Cap. XV.

**A**D cauponas verò si diuertere necesse habet, nec vnd cum eisdem Hebræis, aut mulieribus accumbat. Antequam discumbat, mensæ benedicit, tum pransus, aut cœnatus gratias agat, ceteraq; obseruet, quæ de temperantia, frugalitate, & modestia clericali decretis nostris præscripta, accuratè præstate debet.

Cum ad peregrinationis locum peruenerit, quid agere, & præmittere debeat. Cap. XVI.

**C**UM primùm ad peregrinationis locum peruenerit, Cœnfessione probato, Confiteatur, & Missam Sacerdos celebrare, & Sacram communionem Clericus sumere curet; totusque peregrinationi susceptæ intentus, non rerum vana curiofitates, nõ loci antiquitates, non quicquid aliud à peregrinandi proposito alienum, confectetur; sed religiosa animi præparatione Ecclesias, sacrasque reliquias, quas potissimùm deuotionis, votiue causa visitatum venit, cum alias etiam sollicitè visitet; qua visitationis sollicitudine, pietatis sibi ardorem excitare studeat, vt maxime potest.

Nec verò vbi sanctam peregrinationem absoluerit, aliò longius vagetur.

Reuersus à peregrinatione clericus quæ præstabit. Cap. XVII.

**A** Peregrinatione reuersus, Episcopum primò, aut Vicarium, cum literis dimissorijs, quas dedit, conueniat; sanctæq; sue peregrinationis testimonium ab ordinario loci, aut saltem à Prefecto Ecclesiæ, vel loci Visitatore offerat, ad quam peregrinationis causa, iter suscepit; nisi literis dimissorijs, illius nominatim ab Episcopo exprimat, cuius allato scripto, id testatum facere debet.

Laicus peregrinationem suscepturus quæ peragat. Cap. XVIII.

**L** Laici item, antequam peregrinationem suscipiant, suum quique parochi conueniant: à quo sanctè peregrinandi consilium capiant; & literas habeant ab Episcopo, Canonicas, vt Canone expressum est.

Laici peregrini.

Qua-

## Qualiter à Parocho benedicatur. Cap. XIX.

**D**Einde benedictionem ab eodem parochō petant, qui superpelliceo, & stola indutus, illis bene precetur, & benedicat, statim religiosi precationibus, quæ ex Ecclesiæ instituto peregrinis adhibentur.

## Ut sanctè peregrinentur, quæ oporteat. Cap. XX.

**P**eregrinationis verò iter suscipiant, ubi ritè confessi, sacram Eucharistiam religiosè sumpserint.

Peregrinando, omnia fugiant, quæ deuotionis studium perturbant, aut impediunt; & illa amplectantur, quibus illud excitari solet.

In itinere statim præcepto Ecclesiæ ieiunia seruent, nisi cum legitime excusati sunt.

Singulis diebus Missæ sacro interesse studeant: Dominicis verò, & festis ne vllō modo desit, tum sacram communionem sumere curent, de consilio confessorij.

Mane preces, quas itinerarium vocant, piè recitare studeant, qui legere non uerint.

Elemosinas, si per facultates possunt, largiantur.

Insent potissimum Orationi; Psalmis, Hymnis, Canticis, precariæ beatæ Mariæ recitatione, & rerum spiritualium meditationibus, & sermonibus lassitudinem subleuent.

## Quorum consortia vitent. Cap. XXI.

**I**N Curru, nauigio, & hospitio, cum hebræorum maximè, tum mulierum etiam, nisi quas cognatione affinitate ue iunctas, aut etiam ex familia sua sanctæ peregrinationis socias habeant, omne consortium vitent, nisi necessitas aliud coegerit.

## A quibus abstineant. Cap. XXII.

**A**bstineant item à prophanis canticis, colloquijs, cytharis, alijsq; musicis instrumentis; atq; adeo ab eorum societate, qui in itinere ijs, alijsve eius generis actionibus, operam dant, quibus pietatis studium in peregrinationem suscepta languescit.

## Quando elemosinam non quæritent. Cap. XXIII.

**N**e elemosynam quæritent, nisi ex voto, vel necessitate, aliave causa Episcopi literis, & testimonio probata.

## Qualiter ad singulorum locorum ecclesiam prius adeant.

## Cap. XXIII.

**A**d loca ubi primùm vesperi diuertunt, Ecclesiam precandi causa prius adeant, quàm in hospitium veniant; si temporis tarditas aliudve non impedit.

Cum

Cum ad peregrinationis locum peruenerint, quid faciant.  
Cap. XXV.

**A**d sacra loca, quæ religiose visitaturi sunt, cum peruenerint, nihil aliud sibi propositum habeant, quàm ut, aut Iubileum, Indulgentiam, uel consequantur, aut vota sanctè persoluant, sacras reliquias, et sacra loca piè visitent, ab omni curiositate, peccandiq; occasione abstinentes.

Prosequutio prædictorum; & quid, cum reuersis fuerint, agent.  
Cap. XXVI.

**I**taque primò confessi, cum sacram Eucharistiã sumpserint, tum religiose sanctorum statas Ecclesias visitent, ita ut ex ipsorū locorum admonitione maior affectus in ipsis resurgat, ad excitandam pietatem, et sanctorum, quorum auxilium implorant, orationibus adiuuentur.

Reuersi à peregrinatione, primò Parochum conueniant, à quo benedicantur; adhibitis, ex Ecclesiæ instituto, præscriptis sanctis orationibus.

